

8d



1. Wolff f. Christ. gottl. frid. f. diff. de
Chimn et Rempham Lipsie 1741.
2. ————— diff. de divortio Iudeorum
3. Wolff f. Christoph. f. diff. de eo quod publi-
me est in his meis verbis Bonertou
phew. Lipsie 1739.
4. Wucherer f. Joh. Fréd. f. praecognita theo-
logia dogmatica iend 1739.
5. Zeibich f. Cas. Henr. f. de Christo vero deo
Wittenb. 1741.
6. ————— diff. qua veres Zalnoth et Sciamha,
examinantur, Wittenb. 1739.
7. ~~Zeibich~~ ^{natur. theol.} Simon Pauli justificatorum.
Wittenb. 1738.
8. ————— diff. de divinito predicho et excludit
dato mirarulo obscurat solis, in emortua
am unigeniti diem ut in signi demorat-
tijni argumento sicum corne fixum
furpse verum nessum, Wittenb. 1739.

n. 12
Q. D. B. V.

COMMENTATIONIS THEOLOGICAE

DE

VSV FORMVLAE

QVA

INTERROGAMVS INFANTES
ANTE SACRAM LOTIONEM
DE FIDE

QVAM

P R A E S I D E

CHRISTOPHORO HENRICO ZEIBICHIO

SS. THEOL. D. ET PROFESSORE PVBL. TEMPLI
OO. SS. PRAEPOSITO ET CONSISTORII
ASSESSORE

PRO LICENTIA

SVMMOS IN THEOLOGIA OBTINENDI HONORES

A. D. APRIL. AN. CIO IO CC XXXIII.

IN AVDITORIO MAIORI

DISPVNTANDO EXCVTIET

M. CHRISTIANVS GOTTLIEBIUS CLVGIVS

ECCLESIAE VITTEMBERGENSIS ARCHI-DIACONVS.

VITTEMBERGAE TYPIS EICHSFELDIANIS.

KOMMUNICATIOINS THROLOGIE
DE

VSA FORMAE

IN GRAMMATICA INSTITUTUS
ANTE SACRA M LITERA
DE DICENDIS

CHRISTOPHORI HIRRICIO

LEIBICHI

THEOLOGIA ET MORALIS

SACRUM IN THEOLOGIA ET MORALIS

INSTITUTUS DE DICENDIS

CHRISTIANEAS

CHRISTIANEAS

CHRISTIANEAS

COMMENTATIONIS THEOLOGICAE
DE
VSV FORMVLAE
QVA INTERROGAMVS INFANTES
ANTE IPSAM LOTIONEM DE FIDE
PROOEMIVM.

Progredior nunc, Diuini Numinis praesidio suffultus, ad usum caerimoniae, in ecclesiis nostris receptae, qua infantes, ante lotionem sacram, de fide in Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, interrogati, per susceptores suos, sese credere, clara et distincta uoce confirmant, et explicandum curatius, et ab obiectionibus aduersariorum, eo, quo fieri potest, studio uindicandum. Superiori tempore semel iterumque de hoc ritu a me actum est, cum antiquitatem et originem eius indagarem, et, producetis in aciem aduersariis, qui insensō in eum sunt animo, mihi ipse necessitatem imponerem, cum primum commoda sese offerret occasio, in ueram religionis huius indolem, tanquam in totius caussae arcein, ita penetrandi, ut, cognito perspecto que eius usū, quam temere in ritum castissimum impetus fieret, cuius, aequo rem animo consideranti, sole meridiano clarus pateret. Haec fides, publice data, explenda est, idque eo magis, quod sapientis est, non modo, quid aduersarii moliantur, ingenuē indicare, sed etiam, quo pacto illis obuiam eundum, et praecepsis doce-

A 2 re

re et exemplo. Nec res ipsa, ex se spectata, uberiori commentatione indigna est. Ritus est, fateor, sed qui reliquos antiquitate pariter ac dignitate antecedit, qui cultus publici non postrema pars est, qui hominibus, in ciuitatem christianam introeuntibus, in primo statim limine conspiciendum sese offert. Hic si nugas agere, si puerorum more, uti homines maleuoli contendunt, ludere uelimus, nonne timendum erit, ne omnis tandem religio, tanquam res nullius pretii, quae una cum purgamentis ac quisquiliis ei-
Aug. Conf. art. XV. cienda sit, contemtui habeatur. *De ritibus ecclesiasticis* docent pii Maiores, quod ritus illi seruandi sint, qui sine peccato seruari possunt, et profund ad tranquillitatem, et bonum ordinem in ecclesia, cuius generis nisi omnes illi sint, qui apud nos seruantur, nihil facilius erit, quam uel temeritatis nos accusare, uel cuiusdam a prisa fidei formula defectionis. Immo non de ritu tantum agitur, quod imperitis forsan uideri possit, sed grauisimae religionis Euangelicae partes, aduersariis minus probatae, clandestinis machinis subruuntur. Quid enim rei est, quod consuetudinem hanc, infantes, sacris christianorum initiandos, de fide interrogandi, complures improbant, eamque gradu suo deiiciendam esse, tam enixe contendunt. Non tam obesae sunt naris aduersarii, quin olfaciant, ritum hunc insigne testimonium esse *de uirtute atque efficacia baptismi, de fide infantum, de tingendis quoque infantibus*, quae religionis nostrae capita ut, nobis nec opinantibus, confondantur, in ritum irruunt, nec nisi ritum a se oppugnari dicunt. Inde appetat facile, ei, qui tuendi hu-
 ius ritus cauilla in aciem prodit, ad grauiora fidei mo-
 menta

menta simul respiciendum, atque in interiores usque
Theologiae recessus penetrandum esse. Et quam-
quam non desunt, qui de ritibus ecclesiae nostrae in-
tegris exposuerunt libris, et sigillatim caerimonias,
quae in hac lauandi religione adhiberi solent, dedita
opera excusserunt, tamen in hac caussa agrum fere
sterilem inuenies et plane incultum. Relictis iis, qui
a IO. ALB. FABRICIO, viro rei literariae peri-
fissimo, in *Bibliographia Antiquaria*, ordine percensem-
tur, C ASP. CALVOERIVM, et CHRISTIAN.
GERBERVM, hic excito, quorum ille in *Rituall*
Ecclesiastico, hic in *Historia Coeremoniarum Ecclesiasticarum*
in terris Saxonice, Germanice conscripta, et anno hu-
ius saeculi tricesimo secundo Dresdae edita, ea, quae ad
baptismum pertinent, copiose satis, nec sine omni fru-
ctu, pertractauit. Sed GERBERS, praeter com-
mentationem CHRISTIAN. SCHOETTGENII,
uiri clarissimi, *de pompa diaboli*, cui infantes tingendi
nuncium mittere iubentur, operi subiunctam, nihil
habet, quod ad institutum nostrum referre queas,
CALVOERIVS autem, licet unum alterumque lectu-
non indignum in medium afferat, tamen negotium
hoc, tantum abest, ut omni ex parte confecerit, ut ne
primas quidem lineas operis, quod paratur a nobis, ab
illo ductas esse inueniamus. Sic Theologi, in scriptis
commentariisque suis, ritus nostri mentionem facien-
tes, de usu eius recte iudicant, et, pro instituti ratio-
ne, alio alias ingrediente uiam, quo pacto una item-
que altera aduersariorum obiectio propulsanda sit,
haut inscite docent. At qui locum hunc ita instruxer-
it, ut inde omnem hostium vim et sustinere possis, et
repel-

repellere, neminem habes. Vnus IO. HERM. ELS-
VICHIVS, in *Commentatione de Reliquis Papatus, ec-*
clesiae nostrae temere affictis, suscepta semel prouincia, cum
alios ritus, tum etiam morem interrogandi infantes de
fide, ab hominum maleuolorum criminacionibus de-
*fendendi, otium mihi facere potuisset, nisi ad sententi-
am plane singularem prolapsus fuisset, a qua dum alic-
num me profiteor, ne ab hoc quidem facta iam omnia
atque transfacta esse, patet. Tandem non parum me*
mouet auctoritas Theologorum, qui institutum hoc,
cognita perspectaque eius, cum necessitate, tum utili-

*Meth. LL.
P. III. L.
de Bapt. p.
115.*

*tate, magnopere commendant. SIMON PAVLI,
Theologus Rostochiensis, De bisce coerimonis, inquit,
quarum quotidianus usus est in ecclesiis, necesse est, ut pastores,
et reliqui ministri, auditores, et adstantes ad baptismum, saepe
commonefaciant, ne otioso inuitu eas contemplentur, et, quid
uelint, ac significant, ignorent. E recentioribus Theolo-
gis CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS,
Academiae Tubingensis Cancellarius, egregium quid
atque plane insigne in ueteri ritu baptismali uocat ἐπερώ-
την illam et interrogationem longe antiquissimam,
qua, ut ipse loquitur, abrenuntiatur Saranae, et, sacramen-
tum, quo Christo nos obstringimus, uel maxime a ministris
ecclesiae in explicatione baptismi urgendum, monet. Pro-
inde, operae pretium me facturum, arbitror, si, opus,
relictum ab aliis, ab aliis tentatum magis quam per-
fectum, in me suscipiens, ea, quae de uero proprio
que huius formulae usu cognoscenda sunt, ordine
proponam.*

Equidem infantes, ad fontem sacrum adducti, de
aliis etiam rebus, ad religionem pertinentibus, inter-
rogari

*Institut.
Theol. p.
689.*

rogari solent, et iubentur antea malo genio, eiusque operibus, et pompa, nuncium mittere, quam siam Christo adstringant fidem. Veteres alterum *ἀνταρτού*, alterum *συλλάσσού*, vocant, quae commune quoddam habent vinculum, et quasi cognatione quādam inter se continentur. Nec enim fides ingenerari Deoque domicilium instrui potest, nisi animus a sororibus, in natura altissime defixis, repurgetur, nec repurgatio suscipitur recte, nisi, relictis castris hostium, Christo, tanquam salutis instauratae duci et auctori, in fidem te et clientelam commendes. Bene hic SALVIANVS, *Primum*, inquit, renunciatur De Gubern.
diabolo, *ut credatur Deo, quia, qui non renunciat diabolo,* Dei L. VI.
p. III. IIa.
non credit Deo. Tum uero hostes quoque ritum interrogandi infantes de fide ita oppugnant, ut, nec eiurandi formulam probari sibi, aperte satis prodant. Quia de causa omnino necesse esse uidetur, ut, in defensione occupati, utriusque rei habeant rationem. At enī uero haec omnia quamuis recte disputatione, tamen nec illud negandum, propter intimam rei utriusque coniunctionem fieri non posse, quin, alterum si recte noris, utrumque noris, et, hostibus ex alterutra parte profligatis, e neutra quicquam amplius sit metuendum. Immo, dum omnia, quae aduersarii agunt, eo ualent, quo doctrina ecclesiae nostrae de fide infantium, et de virtute atque praestantia huius sacramenti, labefactetur, uel euertatur penitus, officio meo satis perfunctus esse uideri potero, si ea, quae de fide et interrogari et responderi solent, ostendo uero proprioque huius rei usu, in tuto ponam.

Sed

Sed illud quoque te praemonendum esse arbitror, quam uiam ad perficiendum, quod in me suscepisti, negotium, sim ingressurus. Aduersarii pro libidine sua multa hic fingunt, nobis ea obtrudentes, quae a publica ecclesiarum nostrarum professione prorsus abhorrent. Nec enim dixerit quisquam Theologorum nostrorum facile, infantes ante lotionem sacram fide praeditos esse, et, nomines, uelim, qui, eos uel aliena fide credere, statuat, uel ita fide exornari, ut, eorum, quae interrogantur, uel per susceptores suos respondent, aequae ac adultiores, consci*i*, quid secum fiat, *acru*, ut philosophi loquuntur, *reflexo* intelligent, aut qui, hoc fine, hoc confilio, dicat, ritum istum de fide eos interrogandi in ecclesiis nostris adhiberi. At qui haec fere illa sunt, unde aduersarii tela aduersus nos depromunt. Qua de re opus est, ut initio *finem falsum spuriumque* remoueam, et deinceps, quis *uerus propriusque* *buius formulae usus* sit, allatis in medium idoneis argumentis, ostendam. Quo facto, illud me consecuturum esse, spero, ut et ritui nostro sua maneat laus, suus honor, sua utilitas, et, quae temere dicta sunt ab aduersariis, in auram sua sponte discedant. Sed ut omnia enucleatius proponantur, summa rei capita, *breuibus quibusdam sententiis* comprehensa, ante oculos sisto, quae deinde, subiectis *animaduersionibus*, uberior explicantur. Deus omnina feliciter eueniire sinat.

COMMEN-

COMMENTATIONIS THEOLOGICAE
DE
VSV FORMVLAE
QVA INTERROGAMVS INFANTES
ANTE LOTIONEM SACRAM DE FIDE
PARS PRIOR
FALSVM FICTVMQVE VSVM REMOVENS.

SENTENTIA I.

Interrogamus infantes, ad lauacrum, diuinitus
institutum, adductos, ante aquae affusionem,
de fide, et suscep^ttores uno ore, eos credere,
affirmant, non eo consilio ac fine, ac si, fidem
in iis iam inesse, uel existimemus ipsi, uel
aliis, ut ita existiment, persuadere
cupiamus.

ANIMADVERSIO

I. Dantur omnino complures, qui infantibus ante et extra tingendi actum fidem tribuere non dubitarunt. AVG^{STIN}S, iam suo tempore fuisse, scribit, qui, infantes mox natos, siue, ut ipse loquitur, *exortu corporali*, ab utero matris recentissimo, *illumina-* de mer. et remiss. pecat. c. 25. T. VII. Opp. p. 433.
ri, crediderint, sic intelligentes illud, quod scriptum est, *Erat lumen uerum, quod illuminat omnem hominem, ue-*
nientem in hunc mundum, quos multis ille argumentis confutauit.

II. Errorem istum, cum auctoribus suis obliuionis traditum, in lucem reuocarunt *Quackeri*, qui, infantibus Spiritum sanctum omnemque gratiae diuinæ uim inde a natuitate concedentes, mitiore, MELODIO iudice, in eos sunt animo, quam Lutherani, qui, per
B bapti-

baptismum demum haec omnia iis conferri, docent.
 Ita enim **M E L O D I V S**, suscepito Quackerorum in hac
 caussa patrocinio, Theologos nostros, seruorum apud
 Comicum more, quasi ludens, *Die Quaecker*, ait, und vie-
 le der andern so genannten Fanaticorum, glauben, daß Gott,
 in Ansehung seines Sobnes, die Menschen so gleich mit dem H.
 Geist ausrüste, so bald sie auf die Welt gebobren werden, und
 ihnen diejenige übernatürliche Gabe und Kraft, Gott zu lie-
 ben, nieder schenke, mit welcher die ersten Menschen nach
 ihrer Schöpfung von Gott waren begnadigt worden, und wel-
 che sie durch den Sünden-Fall verlobren. uid. Röb. Barclaii
 Apologie p. 70. edit. Germ. Unsere Theologi bing-
 gen behaupten, daß der Geist Gottes über einen Menschen erst
 ausgegossen werde, wenn er getröst wird. Wir also und die
 Quaecker werden nur 1. oder 2. Tage von einander unterschie-
 den seyn. Denn wenn die Kinder erst in der H. Tauffe den
 H. Geist empfaben, so empfaben sie ibn einen Tag oder zwey
 später, als ibn unsere aduersarii empfaben. Quanquam
 autem fidem expressis uerbis non nominat Melodius,
 nec, in enumerandis gratiae diuinae actibus occupa-
 tus, ullam de fide, in animo hominis excitanda, facit
 mentionem, tamen, dum Spiritum sanctum, dum vires
 amandi Deum, infantibus ante lotionem sacram relin-
 quunt Quackeri, eos fidem quoque hanc aegre iis
 concessuros esse, facile appareat.

III. Quackeris Melodius in hac caussa alios ad-
 iungit *Fanaticos*, eadem imbutos opinione, e quibus
 unicum afferre liceat **V A L E N T . W E I G E L I V M**, qui
 docet, omnes infantes, post natum e uirgine Messi-
 ah, in utero iam materno Christi tintos Spiritu, fi-
 dem ad lauacrum baptismatis afferre, nec alia de cau-
 sa, quam quia credant, tingendos esse. Audiamus i-

Poffill. P. I. psum, ita pronunciantem, *Also mag man auch die Kinder*
p. 33. *tauffen,*

tauffen, denn sie gläuben alle an Christum, und holen nicht erst den Glauben aus der Tauffe. Sed unde, quaeſo, habent fidem? Respondet ille alio loco, Da. P. III. p. 64. *her die Kinder billig getauft werden, denn sie gläuben aus dem Licht des Geiftes.* Item, *Darum muß man alle Kin.* P. I. p. 58. *der täuffen, anzugezeigen, daß sie durch den Heiligen Geift in Mutterleibe in die neue Geburth getauft seyn aus Gnaden.* Denn ſo groſſ ist Gottes Güte, Gnade und Barmherzigkeit, daß er keinen verſäumet. Er kommt allen zuvor obn ihr Wifſen, und liebet uns, da wir noch Feinde waren. Derbalben wie alle Kinder aller Chriſten Heyden empfangen und gebobren werden von Natur, also alle Kinder aller Menschen werden durch den Heil. Geift getauft aus Gnaden, und ſeyn gläubig durch den H. Geift, darum foll man ſie darauf täuffen, daß wir alle überzeuget werden der neuen Schöpfung durch den Sohn, der neuen Geburth in Chriſto. Immo eos erroris postulat, qui docent, baptiſnum eſſe necessarium, et per eum fidem obtineri poſſe. B. Lutherum clan- culum his mordet uerbis, *Eine groſſe Verwirrung macht der falſche Prophet allſie, indem er lebret, Die Waffer-Tauffe wasche die Erb-Sünde, oder würde den Glauben, bringe den H. Geift, quae, opinor, mentem Weigelii ſatis perſpicue declarant.*

IV. Habeffinos, quondam fama erat, statuere, Chriſtianorum liberos in utero matrum ſuarum electos eſſe, exempli Hieremioe prophetae, et Ioannis baptiſtæ, ſanctificari enim ex eo, quod feminae grauidæ aſſumant uenerabile corpus Domini, atque infantes inde capiant nutrimentum, eosque ante baptiſnum potius dicendos Semi-Chriſtianos, quam paganos. At Gregorius, ipſe Habeffinus, a Iobo Ludolfo hac de re interrogatus, longe aliud proſiteretur, *Non dicunt, inquiens, in Aethiopia, quod infantes accipiant nutrimentum ex Euchariftia morvis ſuae, neque etiam ante*

baptismum Semi-Christianos appellant. Norunt enim Euangelium Ioannis, quod legitur super infante baptizando, quod dicit, *Qui non regeneratus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non poterit intrare regnum Dei.* Quas reliquias rei literariae, e tenebris erutas, in lucem protraxit IO. ALB.

in Luce Eu-
angel. p. 720. FABRICIYS, uir laude nostra maior. Quare Habef-
sinos merito hic dimitto.

V. Potiori iure huc pertinent Reformatae ecclesiae doctores, qui infantibus, de electorum numero qui sunt, nec tamen omnibus, cum in multis prouecta demum aetate fides accendatur, sed quibusdam, iisque soli Deo notis, Spiritum sanctum et fidem saluificam, inde a nativitate, immo in utero materno adhuc delitescentibus, haut grauata assignant. Testem aduoco A-MANDVM POLANVM, de hoc arguento ita dispu-tantem, *Fides ergo saluifica in infantibus est in principio habitus, et uelut in semine, quod in cordibus illorum Spiritus sanctus inseuit.* *Est autem in infantibus tantum electis ad uitam aeternam, at non in omnibus, sed tantummodo in illis, quibus uisum est Deo semen fidei inserere.* Multis enim elec-tis ad uitam aeternam fides saluifica confertur a Deo in adulta demum aetate, ut Dionysio Areopogitae, Damori, et ali-iis. Caeu, existimes, POLANO hic sermonem esse de fide, per baptismum in teneros infantium animos in-generanda. Reformati enim baptismo non aliam, nisi significandi, repraesentandi, et obsignandi, uim tribu-unt, quae dona Spiritus sancti respicit, iam communi-cata. Signum enim, tanquam adiunctum, est posterius ipsa re, cui significandae adhibetur, et, ipso

P. II. Resp. BEZA teste, conferri proprie dicuntur ea, quae antea quis-
ad Colloq. piam non habuerit, obsignari uero, quae iam habentur. Et,
Montpeli. p. 62. audias, uelim, animoque perpendas, definitionem fi-dei in infantibus, a POLANO paullo antea suppedita-tam.

Syntagm.
Theol.
Cbrist. p.
1873.

loc. cit.

tam. *Fides autem salufica in infantibus*, inquit, *est uir-
tus in cordibus infantium, ad uitam aeternam electorum, abs-
que externo ministerio uerbi Dei creata immediate a Spiritu
sancto, qui pro ipsorum captu et modulo motus et inclinatio-
nes Deo placentes in ipsis excitat, et, si adultam aetatem at-
tigerint, paullatim fidem in eis auget et confirmat, ut non
tantum habitu, sed etiam deinceps actu, credant, ueritatem
Christi cognoscant, fiduciam in eo collocent, et Deo uiuant ac
seruant spiritu, quemadmodum ratio, quo homines sunt, et a
bestiis distinguuntur, in ipsis est, etiam cum adolescentie ae-
tate demum actus rationis exerant, aut, si ante annos dis-
cretionis moriantur, ea fide seruentur in aeternum. Nulla
hic baptismi sit mentio, immo oblaue externo ministerio
Dei, dum fides in infantibus immediate reor a
Spiritum sancto dicitur, nonne omnis baptismi usus pe-
nitus remouetur? Sic idem POLANVS, aduersus Ana-
baptistas probaturus, infantes quoque tingendos esse,
inter alias rationes etiam hanc profert, quia ipsis promis-
titur Spiritus sanctus, immo et habent Spiritum sanctum. I-
dem ei assentitur PETRVS MARTYR, In parvulis Chri- Comment.
stianorum, inquiens, qui baptizandi offeruntur, fidem, dici- in 1. Cor.
mus, esse inchoatam in suo principio ac radice, quia Spi- VII. p. 177.
ritum sanctum habent, unde tum fides, tum omnes uirtutes pro-
fluunt. Itaque, e sententia Reformatorum, infantes ad
baptismum afferunt fidem, quam beneficio electionis
absolutae a Spiritu sancto habent, qui, ut loquitur PO- p. 1872.
LANVS, non potest esse in illis oriosus, sed ab eo sanctifican-
tur et regenerantur, sicut ad Ieremiam dicit Deus, Ier. I. 5.
Quum nondum prodiisses ex uulva, sanctificaui te, et i. Reg.
XIV. 13. de Alvia, filio infante Ierobeami, regis Israelitorum,
Inest buic e domo Ierobeami aliquid boni erga Iebouam, Deum
Israelis, et Luc. I. 15. dicitur de Iohanne Baptista, Spiritu san-
cto implebitur etiam a uentre matris suae. Quid multa?*

Mentem ecclesiae suae perspicue satis prodit M^{OR}
 L. IV. c. I. NAEVS, in libris de *Sacramento Eucharistiae* hunc in mo-
 reg. 5. p.
 1443. dum scribens, *Et infantes porro, aut pro iis parentes, re-*
spondere solent, Credo, quia nempe sacramenta fidelibus data,
non ut credant, sed quia credunt, non ut in foedere Dei com-
prehendantur, sed ut eo signo comprehensi significantur, non
secus ac hominibus cibus non ideo proponitur, ut edere dif-
cant, sed ut edentes nutriantur. Equidem non ignoro,
 Reformatos sententiam theologorum nostrorum de fi-
 de infantium oppugnare, nec aliam iis, nisi quae in
 principio habitus, in radice, in semine, consistat, re-
 linquere fidem, quae etiam Polani et Martyris est opi-
 nio, ut uerba eorum, paullo ante allegata, docent.
 At sufficiunt tamen nobis, quod tantum fidei infantibus
 concedunt, quantum ad obtainendam salutem aeter-
 nam satis est, quodque per eam fidem motus Spiritus
 sancti in infantibus procreatōs intelligunt, atque hos
 motus, perinde ac rationem, in iis uere inesse, dicunt,
 licet nec a nobis, nec ab ipsis infantibus, sentiantur.

V I. Quid ergo? Annon *Lutheranis* eadem mens
 est, idem animus? Sane interrogandi pariter ac re-
 spondendi formula iis concepta est uerbis, ut imperi-
 tiores facile in eam adduci possint opinionem, ac si fi-
 des iam in infante adsit. Quærimus ex infantulo, ad
 fontēm sacrum per sponsores suos adducto, *Credisne?*
 et sponsores etiam tanquam de re iam existente re-
 spondent, *Credo.* Et haec fiunt ante tingendi actūm.
 Hinc ita colligas, Fides, dum interrogantur infantes,
 aut inest in iis, aut non inest. Si inest, non demum per
 baptismum eandem ingenerari docendum est. Si
 non inest, sponsores mentiuntur. Haec est illa ratio-
 cinandi ratio, qua Reformatae ecclesiae doctores, ad-
 uersus nos in aciem egressi, subinde uti solent. In
 medi-

medium prodeat MARCUS FRIDERICVS VVENDER LINVS, qui, cum in aliis scriptis, tum in *Systemate Maiori Christianae Theologiae*, sententiam nostram de baptismo, tanquam instrumento uiuo et efficaci conferendae infantibus fidei, oppugnaturus, et opinionem coetus Reformati de sanctitate infantium quorundam, ex foedere diuino, non e baptismo, deriuanda, probaturus. *Si ante baptismum, ait, infantes non essent fideles, sed per baptismum demum fierent, sequeretur, ἀναδόχους, qui, anno 865.*

te baptismum interrogari, an credat baptizandus, respondent, credere, mentiri. Atqui consequens Lutherani non dant, sic enim ad mendacium prouocarent ἀναδόχους. Ergo nec prius dare possunt. Idem alio loco, infantes hodie baptizari a Lutheranis, scribit, *non ut credant, sed quia credunt.* Nec enim, ait, baptizant, nisi fidem ante professum. Et, in *Collatione doctrinae christianaæ Reformatorum et Lutherano-* Exercit. p. 1412.
rum, quasi abstrusos ecclesiae nostrae in fouendo hoc ritu recessus pertentasset, sequentem in modum scribit, *Ex sententia eorumdem, Lutheranorum scilicet, fides, a qua inseparabilis est remissio peccatorum et liberatio a morte atque diabolo, antecedit baptismum, adeoque non conferatur per baptismum. Quod antecedit, e formula patet baptisni, apud ipsos usitata. Neminem enim baptizant, uel ad ultum, uel infantem, nisi qui ante baptismum uel per se, uel per anadochos, confitetur, se credere in Deum Patrem, in Deum Filium, et in Deum Spiritum sanctum.* Existimat igitur Wendelinus, eam esse ritus huius conditionem, eam indolem, ut fidei praesentiam necessario indicet, nec alia eum ratione tolerari posse. Eodem in ludo doctum esse, credideris, CHRIST. MELODIVM, qui, ut doctrinam, in scholis nostris longo iam usu approbatam, de uirtute baptismi regenerante, eiusque in fide, cum infantibus communicanda, efficacia, deridendam

dendam det aduersariis, ad ritum nostrum se recipiens, Atqui susceptores, inquit, ante sacram lauacionem, de fide infantium interrogati, magna animi confidentia, eos iam credere, confirmant. Quae ergo dementia est, quod Theologi uulgo docent, per baptismum renasci demum paruulos, et uiribus credendi in Christum donari. Hic dum ea sibi inuenisse uisus est Melodius, quae nulla ex parte inter se conciliari possint, perspicue satis declarat, ritui nostro eam uim, nostrisque Theologis eam, tribuendam esse, sententiam, ac si fides, in infantibus iam existens, formula ista indicetur.

VII. Sed hic intercedit pia mater, ecclesia, eamque sibi *de hoc ritu* mentem esse, omnino negat. Non modo cum Quackeris aliisque Fanaticis, infantes inde ab ortu suo Spiritu sancto et fide praeditos esse, statuentibus, nihil illa habet commercii, sed nec Reformatos secuta, semen fidei uel radicem, e peculiari atque abscondita Spiritus sancti gratia, iis concedit, idque non de eo tantum accipendum est tempore, quo, in lucem recens editi, domi haerent apud matrem uel nutricem, sed ne tunc quidem infantes fidem habere, docet, cum iam in templo uersantur, cum preces iam a sacerdote factae, cum alia, ad caerimonias huius sacramenti pertinentia, peracta sunt, nec cum susceptores de fide interrogantur, nec cum, infantes credere, uno ore confirmant. Loquimur autem de infantibus, qui ad baptismum uere adducuntur, non de iis, qui, uel in utero materno, uel post partum etiam, praematura morte exticti, huius sacramenti usu, praeter suam culpam, penitus priuantur. Hic enim dum, extra ordinem Spiritum sanctum opus suum peragere, dicunt Theologi nostri, fidem quoque, ante et

te et praeter lotionem sacram, in infantibus reperi, iudicem docent, credunt, et consententur.

VIII. Quae ut tanto euidentius appareant, initio libros ecclesiae nostrae symbolicos, quibus doctrinae euangelicae summa continetur, in medium affero, ea, quae paullo ante dicta sunt, ex iis argumento non uno probaturus. *Articulo quinto Augustanae Confessionis* pii maiores ita loquuntur, *Vt banc fidem consequamur, institutum est ministerium docendi euangeli et porrigitendi sacramenta. Nam per uerbum et sacramenta, tanquam per instrumenta, donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit, ubi et quando uisum est Deo.* Audis hic sententiam ecclesiae publice propositam, ubi omnia eo spectant, ad fidem consequendam opus esse ministerio uerbi et sacramentorum. Ergo, ubi hoc ministerium non est, ibi nec fides obtineri potest. Atqui, infantes ante baptismum destitui ministerio docendi euangelium, et porrigitendi sacramenta, per se patet. Quo iure igitur dicere possumus, infantes ante baptismum habere fidem. Idem ex reliquis uerbis conficitur, quibus pii confessores docent, *Spiritum sanctum efficere fidem, sed per uerbum et sacramenta donatum.* Quodsi autem fides adesset in infantibus ante baptismum, do-natio Spiritus sancti statuenda foret sine uerbo et sacramentis. Quod cum per Augustanam Confessionem afferere non liceat, nefas omnino est, docere, fidem ante tingendi acrum, in quo omnis sacramenti uis consistit, in infantibus reperi.

VIII. *Articulo nono eiusdem Confessionis de baptismo* docent, *quod sit necessarius ad salutem, quodque per baptismum offeratur gratia Dei, et quod pueri sine baptizandi, qui, per baptismum oblari Deo, recipiantur in gratiam Dei.* At quibus per baptismum offertur gratia Dei, ii

ante baptismum gratiae sunt expertes, et, si pueri, per baptismum oblati Deo, recipiuntur in gratiam Dei, ante baptismum fidem habere non possunt. Si enim haberent, gratia Dei iam perfruerentur, nec per baptismum in gratiam recipiendi essent. Eundem in modum *in articulo decimo tertio*, sacramenta dicunt, instituta esse, ut sint signa et testimonia voluntaris Dei erga nos, ad excitandam et confirmandam fidem in iis, qui utuntur, proposita. Ad utrumque hic respiciunt sacramentum, baptismum scilicet et sacram coenam. Haec cum ad fidem faciat confirmandam, ea, quae de *excitanda* fide dicuntur, ad baptismum referantur, necesse est. Sed nec de baptismo adulorum haec accipi possunt, cum in his fidem non excitet baptismus, sed uerbo Dei iam excitatam confirmet. Ergo pii confessores, sacramentis excitandae fidei uim tribuentes, paruolorum baptismum in mente habuerunt. Vnde sic concludo, Quicunque, baptismum institutum esse, docent, ad fidem excitandam in iis, qui utuntur, illi ante baptismum nullam in iisdem agnoscunt fidem. Atqui prius Lutherani docent. Ergo opinio de fide ante baptismum in infantibus existente non est Lutherana.

p. 200. sq.

X. Idem ex reliquis scriptis, *Libro christiane cordiae* comprehensis, facilis opera demonstrari potest. Ex *Apologia Augustanae Confessionis* sequentia huc pertinent uerba, *Et corda simul per uerbum et ritum mouet Deus, ut credant, et concipient fidem, sicut oit Paulus, Fides ex audiitu est. Sicut autem uerbum incurrit in aures, ut feriat corda, ita ritus ipse incurrit in oculos, ut moueat corda.* Idem effectus est uerbi et ritus, *sicut praecclare dictum est ab Augustino, Sacramentum esse uerbum uisibile, quia ritus oculis accipitur, et est quasi pictura uerbi, idem significans, quod uerbum, quare idem est utriusque effectus.* Sermo hic est sigilla-

sigillatim de ritu baptizandi infantes, per quem dum mouere Deus dicitur *corda, ut credant, et concipient fidem,* eo ipso, sine hoc ritu infantorum animos ad concipiendam fidem a Deo moueri, negant. In *Catechismo Maiore* B. Lutherus, ea, quae de uirtute et efficacia baptismi tenenda sunt, breuiter complexus, *In summa*, p. 540. ait, *quicquid Deus in nobis facit et operatur, tantum externis istiusmodi rebus et constitutionibus operari dignatur.* Res ipsi est cum Anabaptistis, externorum, qualia sunt sacramenta et uerbi praedicatio, ullum in obtainenda salute usum esse, negantibus, quibus sece opponens b. uir, dum, *tantum externis istiusmodi rebus et constitutionibus dignari Deum, dicit, fidem in animo hominis aliosque bonos motus efficere, nonne ab iis omnibus se alienum profitetur, qui, fidem ante tingendi actum, cum reliquae externae constitutiones, in salutem hominum a Deo factae, apud infantes locum non habeant, in infantibus adesse, contendunt.* In *Formula Concordiae* praepter reliquos Anabaptistarum errores Theologi nostri hunc etiam reiiciunt et damnant, quod docent, *infantes p. 8:6. sq. Christianorum ob eam caussam, etiam sine baptismo, et ante suscep- tum baptismum, sanctos et filios Dei esse, quod parentibus christianis prognati sint, quod pugnare, dicunt, cum ex- pressis uerbis promissionis, quae ad eos tantum pertinent, qui foedus Dei obseruant, neque illud contemnunt.* Audisne, quid pii maiores hic aiant, quid negent. Infantes sine baptismo et ante susceptum baptismum sanctos esse et filios Dei, ex eorum sententia, Anabaptisticum est, affirmare. Iidem, dum, *promissiones diuinas tantum ad eos pertinere, aiunt, qui foedus Dei obseruant, nec contemnunt illud, nonne aperte satis indicant, nisi foedus Dei obseruetur, hoc est, nisi legitima eius per sacramentum baptismi accedit applicatio, nullum ad infantes ex-*

promissionibus diuinis redundare fructum. Ex his, opinor, clarissime constat, ecclesiam nostram ab ea sententia prorsus abhorrere, qua fides ante baptismum in infantibus ullo modo adesse perhibetur.

XI. Singulorum Theologorum testimonia hic describere, immensae molis est, nec minoris molestiae, dum summa animorum consensione, fidem in infantibus non nisi per ipsum tingendi actum accendi, docent. Mea hic facio uerba D. CHRISTIANI FREDERICI BOERNERI, Theologi apud Lipsienses celeberrimi, qui, in disputatione *de fide Iacobi in utero*, nominatis compluribus ecclesiae nostrae doctoribus, qui ex instituto de fide infantium baptizatorum egerunt, tandem sententiam eorum breuiter repe-

§. XV. p. 31. tens, ita pergit, *Nempe, ex communi ecclesiae nostrae confessione, hi omnes statuunt, Spiritum sanctum, uti sub veteri testamento per circumcisio[n]em, ita hodie per baptismi sacramentum, fidem in infantum animis excitare, qua scilicet gratiae diuinae, remissionis peccatorum, iudeas, iurisque adeundae haereditoris coelstis, capaces compotesque reddantur.*

XII. Quanquam autem ex his, quae diximus, satis iam appareat, ecclesiam nostram ritum interrogandi infantes de fide ante lotionem sacram non eo fine adhibere, ut doceat, fidem eo temporis momento in infantibus iam adesse, tamen nouo, eoque omnium fortissimo, argumento idem demonstrari potest. Namirum Theologi nostri expressis uerbis negant, ante aquae affusionem fidem se infantibus ascribere, uel tale quid in seruando hoc ritu sibi unquam in mentem uenisse. Caussam hic peroret AEGIDIUS HVNNIVS, in praestantissimo libello *de Sacramentis veteris et noui testamenti* hunc in modum scribens,

Certo

Cerro statuas, uelim, iniuriam nobis fieri a nonnullis, qui scribunt, nos infantibus etiam ante baptismum fidem adscribere, quod falsum esse, persuassimum tibi habe. Nam creditur, et profitemur, infantibus nec in alio materno adhuc latitibus, nec iam in lucem hunc editis, extra baptismum conferri fidem, si Dei ordinatam actionem consideres, sed in baptismo, et per baptismum, tanquam per salutore organum accendenda cum fidei tum regenerationis in illorum cordibus.

Idem HVNNIVS in eodem libro, proposita quaestione, Fides utrum ante aspersionem aquae donetur parvulis, an uero tum, cum aqua asperguntur, Verbum Dei, inquit, do. p. 289.

cet nos, regenerationem, quae indulso nexu fidem habet adiunctam, fieri ex aqua Ioh. I. Quando uero? num antequam aspergatur? Minime. Siquidem extra usum ablutionis et aspersionis aqua non est sacramentum. Neque est organum regenerationis, quatenus adhuc est in urna, in pelui, in baptisterio, in flumine, sed tum, quando in ipso actu ablutionis adbibetur, et in nomine Trinitatis aspergitur. Alias, si regeneraretur homo, priusquam aspergeretur aut ingeretur aqua, praecederet iam effectus suam caussam, quod absurdum esse, nemo non intelligit.

Eadem audies ex BALTH. TII Disp. Giess p. §42.

MENZERO, qui, ecclesiam nostram hac suspicione liberaturus, Manifestam nobis fieri iniuriam, ait, quando affiricatur nobis haec opinio, infantes Christianorum parentum credere ante susceptum baptismum, ac proinde baptizandos esse, quia iam fidem habent, imino, falsum hoc, pronunciatus, rei indignitate commotus. Et ne plane sit, quod dubites, ex Theologis nostris unum itemque alterum, quid enim attinet, omnes afferre, tibi nominabo, qui elata uoce negant, ritus huius eam uim, eam indolem, esse, ut fidem iam actu in infantibus existentem demonstret. Vnum hic nota, sic praecipit CONRADVS Institutu CADETERICVS, quando in ecclesias nostris patrini, quaestri, tecb. p. m. 832.

Credisne in Deum Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, respondenz, ita, uel, credo, non hoc sit, quod uel infantes ante susceptum baptismum fidem habeant, uel in fidem parrinorum baptizentur. Idem te edocet FRIEDEMANNVS BECHMANNVS, in *Vberioribus Annozationibus in Compendium Theologicum Hutteri*, Illa confessio, inquiens, est de fide infantum, mox per baptismum accendenda, non quod eam ante baptismum habeant. Quibus omnibus recte consideratis, aequos iudices id mihi facile datus esse, spero, quod ritus hic interrogandi infantes de fide ante sacram lotionem in ecclesiis Lutheranis nullo modo ad indicandam fidei praesentiam adhibeatur.

*Tom. II.
Witt. Lat.
p. 406.*

XIII. At dixerit quis, Non tamen defunt ex Theologis Lutheranis, qui docent, eo temporis momento, quo haec interrogationes et responsiones fiunt, fidem iam in infantibus adesse. Ipse LVTHERVS, Theologorum princeps, in Libro, quo armatum virum, Coclum, armis castrisque exuit, sicuti negat, baptismum sine fide prodesse, ita in uindicanda infantibus fide eo progrereditur, ut, ante baptismum, per uerbum exorcismi et per orationem offerentis ecclesiae ad fidem eos peruenire, doceat. Non negamus, inquiens, parvulos esse baptizandos, nec offerimus, eos baptismum accipere sine fide, sed dicimus, ad baptismum eos credere per uim uerbi, quo exorciantur, et per fidem ecclesiae, eos offerentis, et eis fidem orationibus suis impetrantis. Alioqui mera et intolerabilia essent mendacia, quando baptisans a parvulo querit, an credat, non baptisaturus, nisi uice eius respondeatur, Credo. Quam Lutheri sententiam comprobat b. 10.

p. 104. §4.

HERM. ELSVICHIVS, in *Commentatione de reliquis Papatus, ecclesiae Lutheranae temere officitis*, dedita opera ostendens, susceptores precibus suis a Deo impetrare, ut infantes ante baptismum fide instruantur, eamque causam

sam esse, quare susceptores, infantes credere, de fide eorum interrogati, affirment. *Quid impedit, ait ille, quo minus Deus censeatur, ad preces, ante baptismum fusas, in infante, modo nobis incognito, operari, eundemque preparare quasi ad παλεύγγεστάν, quam baptismus conficit, ac consummat.* Lutherus sane ea de re non dubitauit, sed in fonti fidem ante baptismum, precibus conciliatam, luculenter, quicquid dixerit Grauerus, adscriptis. Afferit quoque eam in rem loca quaedam, e Postillis Lutheri Ecclesiasticis petita, ubi ille, contra Waldenses, fidem infantibus denegantes, disputans, *Es hilft sie auch nicht, inquit, die Ausrede, daß sie sagen, die Kinder tauffe man auf ihren zukünftigen Glauben, wenn sie zur Vernunft kommen.* Denn der Glaube muß vor, oder in der Tauffe da seyn, sonst wird das Kind nicht los vom Teuffel und Sünden. Darum, wenn ihre Meynung recht wäre, so müßte das alles eitel Lügen und Spötterey seyn, das mit dem Kinde in der Tauffe gehandelt wird. Denn da fraget der Täuffer, (*en, quomodo Lutherus modum interrogandi interpretetur, sic oculos aperiri iubet Elstuchiarius*) ob das Kind glaube, und man antwortet, *Ja, an seine statt, und ob es wolle getauft werden, da antwortet man auch, Ja, an seine statt.* Nun wird doch niemand an seine statt getauft, sondern es wird selbst getauft. Darum muß es auch selbst glauben, oder die Paten müssen lügen, wenn sie sagen an seiner statt, Ich glaube, et paulo post, Darum sagen wir hier also zu, und schließen, dass die Kinder in der Tauffe selbst glauben, und eigen Glauben haben, denselben Gott in ihnen würcket durch das Fürbitten und Herzubringen der Paten im Glauben der Christlichen Kirchen, et post pauca, *Also sagen wir auch hier, daß die Kinder nicht werden im Glauben der Paten und der Kirchen getauft, sondern der Paten und der Christenheit Glaube bittet und erwirbet ienen den eigenen Gla-*

*Dom. III.
p. Epiph.*

Glauben, in welchem sie getauft werden, und für sich selbst glauben. Et haec fere loca sunt, quibus Bellarminus, Becanus, Wendelinus, aliquie, ualde se efferunt, quaeque eo trahunt, ut Lutherum uel inuitum in partes suas abripiant, uel erroris agant reum. Eandem sententiam IOANNI PAPPO, Theologo Argentoratensi, tribuit MASSONIVS, his uerbis, *Dass auch der Christen Kinder noch vor der Tauffe im Gnaden-Bunde Gottes seyn, bezeuget Ioannes Poppus, ein fürnehmer Lutberaner und Straßburger Theologus, in Commentario ad Augustanam Confessionem, edito an. 1589.* Sunt fidelium liberi in foedere Dei, etiam ante baptismum, sed tamen promissio illa ex foedus requirunt omnino, ut tales baptizentur. Immo hanc opinionem ex instituto defendendam suscepit Auctor, qui anno huius saeculi uicesimo octauo schedulam Germanice scriptam in lucem emisit, *de fide infantum ante baptismum*, in qua probatum iuit, infantes ante baptismum omnino fidem habere, his innixus argumentis, quod Paullus, Apostolus, liberos, e parentibus christianis suscepitos, sanctos pronuntiet, 1. Cor. VII. 14. et quia sponsores ante tingendi actum, eos credere, profiteantur, de quo scripto lege *Commentari*

An. 1731. p. viios de rebus antiquis et nouis ad Theologiam pertinentibus.
1028.

Et, ne quid omittatur facile, quod ad ornandam hanc sententiam facere uidetur, annon Christus, huius sacramenti auctor, fidem ante baptismum requisivit, dum non nisi credentem voluit tingi? Annon idem ex altero noui foederis sacramento probari potest, quod ut fructum afferat percipientibus, necesse est, ut ii fide iam instructi ad sacram mensam accedant? Ita quidem MELODIVVS sentit, *Nun aber, inquiens, hat unser Heyland befoblen, dass Niemand soll getauft werden, daferne er nicht zuerst glaube.* Et paucis interie-
ctis,

*Einsfuss p.
282.*

ctis, So wenig derjenige ein würdiger Tisch-Genosse bey dem H. Abendmahl ist, der ohne Glauben hinzu kommt, so wenig kan der ein würdiger Täuffling seyn, der nicht schon den Glauben zur Taufe mitbringe. Es würde Thorheit seyn, wenn einer sagen wolte, die Sünder möchten unwürdig und ohne Glauben zum H. Abendmahl hinzutreten, genug, daß Christus den Glauben bey ihnen in der Genießung des H. Abendmahls würcke. Und eben so elend ist auch die Ausflucht, wenn unsere Theologen sagen, daß der H. Geist durch die Taufe den Glauben bey denen Kindern würcke, und ihnen zu glauben Kraft gebe.

XIV. Adduxi bona fide omnia illa, quae sententiae nostrae obiici possunt, argumenta, sed nec aliud inde confici posse, intelligo, quam esse quosdam inter Theologos nostros, eoque mirae paucitatis, qui de ritu nostro ita, uti modo dictum, sentiant, uel sentire uideantur. At quis nescit, in cognoscenda ecclesiae nostrae sententia, non ad pronunciatum huius uel illius doctoris esse respiciendum, sed ad libros symbolicos, quibus si quid repugnauerit, a quoque tandem dictum scriptumue sit, illud a communi ecclesiae nostrae sensu alienum existimari debet. *Ad has ratio-*

*p. 572. ed.
Rechenb.*

nes, liceat enim cum auctoribus Formulae Concordiae loqui, paulo ante monstratas, omnis doctrina in religionis negotio conformanda est, et, se quid iis contrarium esse deprehenditur, id reiiciendum orque damnandum est, quippe

quod cum unanimi fidei nostrae declaratione pugnet. Vtimur hac in re eodem iure, quod et Romanae et Reformatae ecclesiae doctores sibi concedi poscunt, qui

priuatorum scriptorum sententias, a symbolorum confessionumque publicarum doctrina abhorrentes,

suis relinquunt auctoribus, atque ea tantum pro suis agnoscent, quae communi ecclesiae consensu et edita

D

funt

funt et approbata. Amicus nobis Lutherus, amicus Pappus, amicus Elsuichiūs, magis tamen amica ueritas, libris symbolicis comprehensa, quibus cum contineantur ea, quae impediunt, quo minus ritum nostrum de fide in infantibus ante suscepturn baptismum praesente accipere possimus, in his acquiescamus, haec ecclesiae tribuamus.

XV. De singulis tamen ut separatim uideamus, b. Lutheri scripta magnam apud nos habent auctoritatem, non tamen eam, ut, quicquid ille dicat sentiu-

*Form. Conc.
¶ 633.*

atue, id rectum iustumque pronunciemus. *Ad D. Lutheri explicationes praeclaras*, audis hic uocem ecclesiae publicam, *tam in polemicis quam didacticis ipsius scriptis comprehensas*, prouocamus, eo uidelicet modo, quem *D. Lutherus in Latina sua praeferatione*, *Tomis Operum eius praefixa*, de scriptis suis, pia et necessaria admonitione, nobis ipse monstrauit. Monstrat autem hunc legendi scripta sua, maxime prioribus annis edita, modum, ut legantur *cum iudicio*, immo *cum multa miseratione*. Et hoc modo legimus uerba eius de uirute uerbi, quo exorcis- sontrur paruuli, ita tamen, ut nec dextram eorum explicationem, a Theologis nostris suppeditatam, penitus respuamus. Neque enim solitarie haec uerba accipimus, ex zalem uim exorcismis tribuimus, Lutherus etiam ipse iungit preces ecclesiae, in actu baptissimi recitatas, immo rationem actionem uerius intelligit, ut sic copulatiue, non disiunctiue, nos haec accipiamus, idque merito, quia ipse Lutherus in posterioribus scriptis mentem suam melius et plenius explicuit, quam uiam defendendi Lutherum a maleuolorum accusationibus iniit **BALTHASAR HILSCHERVUS**, SS. Theologiae Baccalaureus, et Facultatis Philosophicae Lipsiensis Assessor, in *Examine Libri secundi Manualis Controversiarum Martini Becari*, Lipsiae anno su-

p. 102.

perio-

perioris saeculi uicesimo octauo edito, et a Theologis Lipsiensibus approbato. Et sane exorcisandi formula, uti humano ntitur instituto, ita nec aliam habet uirtutem, nisi quae in declaranda significandaque baptismi efficacia consistit, adeoque ad fidem infantibus inferendam nihil omnino confert. Sed, cum LUTHERVS omnes ac singulos lectores Opusculorum suorum memores esse iubeat, se unum fuisse ex illis, *vid. Præf.*
sac. Tom. I.
Lutens. Lat.
qui, ut Augustinus de se scribit, *scribendo et docendo profecerine*, non ex illis, *qui de nibilo repente fiant summi*, in hac quoque caussa infantiae eius aliquid indulgeamus, et, praetermissis iis, quae de uirtute exorcismi prioribus annis ab eo dicta sunt, illa amplectamur potius, quae, iudicio magis subacto et exercitato, de hoc argumento scripsit. In Augustana Confessione, in Articlelis, Smalcaldiae compositis, in utroque Catechismo, nihil de hac exorcismorum ui legimus, legimus autem illud, Deum, ad fidem in teneris paruulorum animis excitandam, externis uti ritibus, ab se, non ab hominibus, ordinatis. Immo biennio ante exhibitam Augustae Vindelicorum confessionem, in epistola ad duos pastores de Anabaptismo ita scribit, *Wir können Tom. IV.
ia nicht leugnen, daß eben derselbige Christus bey der Tauffe Altenb. 1.
und in der Tauffe ist, ja er ist der Täuffer selbst, der dort in 380.
Mutter-Leibe zu Johanne kam, so redet er auch eben so wohl
bey der Tauffe durch des Priesters Mund, als er dort durch
seiner Mutter Mund redet. Weil er denn da ist gegenwärtig,
redet und täuffet selbst, warum sollt nicht auch der Glaube und Geiß,
durch sein reden und täuffen, so wohl in das Kind kommen,
als er dort in Johannem kam. Ists doch einerley Redener und Thäter dort und hie.* Und zuvoraus, *weil er spricht durch Esaiam, Sein Wort solle nicht leer wiederkommen. Nun bringe du auch einen einigen Spruch, der*

da beweise, daß die Kinder nicht glauben können in der Taufe, weil ich so viel aufbringe, daß sie glauben können, und billig zu halten sey, daß sie glauben, wiewol uns unbewußt ist, wie sie glauben, oder wie der Glaube gethan sey, da liegt auch nichis an. Hic audis, Lutherum infantibus fidem tribuere in baptismō, non ante baptismū, eamque non e uerbo exorcismi, sed e uerbo et actione Christi, per ministrum loquentis et baptisantis, deriuare. Anno uicesimo nono eius saeculi Marpurgi a Lutherō et Zuinglio de baptismō in hanc itum est sententiam, ut articulo nono uterque confiteretur, baptismū *Dei esse opus, in cuius usū fides nostra excitatur,* (*darin unser Glaube gefordert,*) *per quam regeneremur.* Evidēt non eodem modo in omnibus exemplis legitur, aliis uocem habentibus gefordert, hoc est, *excitatur, promouetur, aliis uocem gefordert, siue, requiritur, postulatur.* Posteriorem uoculam inuenies Tomo IV.

p. 563. Altenburgensi, item in Historia Augustanae Confessionis, auctoritate publica conscripta, in Wigandi Sacramentariisimo, et Seckendorfii Lutheranismo. Sed priorem praferendam esse, idoneis suffulti argumentis, *Auctores Commentariorum de rebus antiquis et nouis,*

An. 1707. **p. 289. seqq.** *ad Theologiam pertinentibus*, docent. Atqui si fides in baptismō *excitatur*, ut Lutherus hic statuit, eadem non adest ante baptismū, nec uis uerbi, quo exorcisantur infantes, tanta est, ut inde fidem habere possint. Quae de precibus ecclesiae offerentis, earumque efficacia, sentit Lutherus, recte se habent. Nec enim, ecclesiam precibus suis *conferre* infantibus fidem, dicit, sed a Deo *impetrare*. Impetrat autem non ante et extra baptismū, sed ira, ut Deus, instituti promissique sui memor, per baptismū legitime administratum in eorum animis fidem producat. Praeclar-

re

re hanc in rem scribit AEGIDIUS HVNNIUS, *An-* L. de Sa-
non autem preces, quae aquae aspersioni praemittuntur, buc *cram.p.291.*
redeunt, ut quamprimum fide donentur infantes, etiam ante
actum baptismi? Nequaquam, sed scopus precum ecclesiae est,
ut Deus in ipso baptismi actu, tanquam proprio et ordinario
regenerationis organo, uelit in paruulis esse efficax, et bapti-
simo illorum coelesti sua uirtute benedicere. In bunc scopum
arque finem dirigi preces, ipsa formula euidenter arguit. In-
uocatur namque Deus, ut hoc lauacro paruulos adoptet in fi-
lios et coelestis haereditatis confortes, et ut per hoc salutare
lauacrum in infantibus suffocetur peccatum, quod eis a pa-
rentibus agnatum est, reliqua. Sic recte omnino mera
et intolerabillia mendacia uocat b. Lutherus, si spon-
fores, interrogati, an credat infans, eum credere, af-
firment, nec tamen infantibus competit fides. Dis-
putat enim aduersus Pontificios, fidem infantibus ba-
pitzatis quoque denegantes, quos ex ipsa baptisandi
formula erroris coarguit, ostendens, si uera ipsorum
esset sententia, nec in infantes ullo modo caderet fi-
des, frustra fieri preces pro fide impetranda, nec te-
meritatis crimine liberari posse interrogationes et re-
sponsiones de fide, et duros nimis et immodestos fo-
re ministros ecclesiae, non ante baptisantes, quam
sponsores, infantem credere, respondissent. Hanc
sibi mentem, hunc finem esse, LV THERVS ipse indi-
*cat, post uerba supra allegata, ita pergens, *Debemus* Tom. II.*
autem et bunc negotiae in paruulis fidei errorem Sophistis, qui *Vitt. Lat.*
hominum dicta, sicur animalia immunda, uorant sine iudicio, *p. 406. a.*
et simul contraria docent, dum negant, paruulo esse fidem, et
tamen, ut baptisari possit, exigunt ab eo fidem. Quae ut
sibi constent, non opus est, ut, fidem ante baptismum
iam adesse in infantibus, statuamus. Habent uerba
uim suam, aduersarios redarguendi, etiam si, in bapti-

106.1. *sno* demum credere infantes, Lutherò duce, affimes, et tam non mentiuntur sponsores, infantes credere, dicentes, quam non falsa dicit ipse minister ecclesiae, malum genium proeul abesse iubens, licet uterque effectus ipsum ringendi actum consequatur. Sed, men-
dacia eos omnino locuturos esse, cum Lutherò dici-
mus, si infantes fidei plane essent expertes. Haec de
Lutherò.

107. XVI. Ad b. *Elſuicium* quod attinet, ab eo de
hac sententia, quam de ritu nostro amplexus est, me
dissentire, libere fateor, cum non solum solidis desti-
tuatur argumentis, sed iis quoque prematur difficul-
tibus, quae, saluis aliis Theologiae Lutheranae ca-
pitibus, superari uix possunt. Evidem ininititur ma-
xime *ELSVICHIUS* in b. Lutheri auctoritate, sed af-
fert quoque rationes quasdam, ad tuendam, quam se-
cucus est, opinionem. *Inſtitui*, dicit, *quaestiones*, ante-
quam *infanti baptisimus conseratūr*, item, *infantem teſtari de*
fide, in quam cupiat tingi, easque ob cauſas aliter exi-
ſtimari non posse, quam quod sponsores eam innuant
fidem, quam infans iam teneat, non quam baptismi
beneficio demum sit consecuturus. Sed haec non-
dum nos mouent, ut assensum ei praebeamus. Nec
enim omnia illa, quae ante baptismum fiunt, suum
censiſi debent statim obtainere effectum. Minister
ecclesiae ante, quam infantem tingat, malum genium,
inuocato SS. Trinitatis nomine, adiurat, ut, egressus
ex infante, Spiritui sancto locum concedat, quae non
alium habent uisum, quam ut solenni quadam formula
indicet ecclesia, quid efficiat baptismus, quidque infan-
ti afferat utilitas. In qua explicatione si quis aequiſce-
re nolit, loquimur hic cum b. *ELSVICHIUS*, illum opor-
ter penitus inficiari, quod ecclesiae non liceat esse uerborum,
aut

aut formularum sibi usatorum, interpreti, quam ratione potestatem alioquin unicuique, iubente id lege coribus nostris inscripta, baud difficulter facimus. Eodem modo in ritu interrogandi infantes de fide ante ipsam lotionem sensus spectandus est, ut ibidem pronunciat Elsuichius, quem sub uerbis intendit ecclesia, quod profecto sanae ratione est conforme, non quem uerba auctoritate funduntur. At testatur infans de fide, in quam tingi cupit, nonne eam obcaussam censendus est fidem innuere, quam ante baptismum habet, non qua in baptismo est imbuendus? Sic existimat Elsuichius, et quanquam non inficias eo, infantem in fidem illam, quam professus est antea per sponsores suos, tingi, seu baptisari, tamen nec hoc fidei praesentiam necessario indicat, sed eo ualer potius, ut infans, sicut per baptismum uerae in Deum fidei sit compos, ita ad eandem conferuandam profitendamque solenni formula obligetur. Quae ex b. Lutheri Postillis afferit loca, ex iis, quae antea iam a nobis dica sunt, aliquid captiunt lucis, immo, curatus ea inspicientes, nihil inuenimus quicquam, unde suam communire Elsuichius sententiam possit. Omne momentum in eo ponit b. vir, quod Lutherus scripsiferit, fidem adesse debere in infantibus ante baptismum, uel in baptismo, si infans diaboli potestate et peccato liberari uelit, der Glaube muß vor oder in der Tauffe da seyn, sicut etiam particulam vor literarum forma situque a reliquis uerbis distinxit. Sed nihil certi hic definit Lutherus, immo, si quid iudico, uerba sequentia, oder in der Tauffe, magis attendenda sunt, tanquam per επανόρθωσιν adiecta, quae, ut definit magister Herennianus, tollit id, quod dictum est, et pro eo, quod magis idoneum uidetur, reponit. Eum in finem adducit b. Lutherus particulam ie, ab Elsuichio, nescio, que

qua de cauſa, omissam, oder ie *in der Tauffe*, quam particulam uim corrigendi habere, linguae Germanicae haud ignari facile concedent. Immo uerba paulo post allegata mentem eius perspicue satis declarant, ubi, *Darum sagen wir hier alſo zu*, inquit, *und ſchließen*, daß die Kinder in der Tauffe ſelbst glauben und eignen Glauben haben, et quanquam addit, eam fidem Deum efficere in infantibus per depreciationm et oblationem sponsorum in fide ecclesiae christianaæ, tamen haec non aliud habent ſenſum, quam quod de fide infantium baptisatorum eo dubitandum sit minus, quo certius Deus promiserit, ſe preces piorum et credentium exauditurum eſſe, ut adeo preces cauſae mouentis, non autem cauſae efficientis, habeant rationem, ſicut ipſe Lutherus uerbis, ultimo loco allegatis, perspicue docet. *Mens itaque Lutheri*, ut cum ALBERTO GRAVERO concludamus, licet ab Elſuichio, ſed ſine ratione, contemnatur, non eſt alia, quam Deum per preces piorum fidem in infantibus operari poſſe. *Quod autem Deus ſemper et neceſſario ante baptismum hanc fidem in infantibus baptizandis operetur ita*, ut ipſo actu ante baptismum ſemper credant, hoc Lutherus nullibi absolute et ſimpliciter affirmauit. Sed aliae etiam obſtant cauſae, quo minus cum Elſuichio ſentire queam. Primo enim quaeritur, ſi fides in infantibus ante baptismum adſit, quo medio Deus in ea producenda utatur. Nec enim abſque mediis, ubi media haberi poſſunt, Deus nobis eum agere ſolet. Verbi ſane, niſi uifibile illud fiat, ut Auguſtinus loquitur, hoc eſt, niſi externo elemento circumuestiatur, apud infantes, rationis uſu deſtitutos, nulla eſt uis, nulla efficacia, nec sacramenta huic aduocari poſſunt, cum de infantibus ſermo ſit, ante baptismi uſum conſideratis. *Deinde preces, fa-*
tor,

Praelectr.
in Auguſt.
Conf. P. IV.
p. m. 101.

teor multum ualent, Iac. V. 16. et faciunt Christiani, quod bonum, iustum et necessarium est, pro salute aliorum deprecantes, i. Tim. II. 1. sqq. immo, ut sigillatum pro infantibus oreint, ipsius Christi exemplo invitantur, Matth. XIX. 13. satis quoque certi esse posunt, Deo eiusmodi preces gratas fore et acceptas, cum promiserit, se preces ecclesiae, et quorumvis piorum, in nomine Christi congregatorum, Matth. XIII. 19. et in nomine Christi rogantium, Io. XVI. 23. exauditurum. Pf. L. 15. Pf. CXLV. 18. 19. Matth. VII. 7. Io. XIV. 13. At, quid sit *in nomine Christi* orare, explicat Ioannes, *Et haec est fiducia, inquiens, quam apud Deum habemus, ipsum, si quid petierimus καὶ τὸ θέλημα αὐτοῦ, nos exaudire.* i. Io. V. 14. Si igitur ex precibus piorum, quas pro fide infantum fundunt, quis certo colligere uoluerit, quod infantes ipso actu ante baptismum perceptum credant, tum prius certo demonstrare debet ipsam Dei uoluntatem, quod nimirum Deus etiam omnes et singulos infantes, in ecclesia natos, ante baptismum perceptum, fideles seu credentes efficere uelit, ut sapienter monet GRAVERVS. l.c. p. 98.

Orat ecclesia, ut Deus fide instruere uelit infantes, et quidem per media, a se ordinata, per quae, cum Deus, efficaciter se operaturum esse, promiserit, non dubium est, quin huiusmodi preces a Deo exaudiantur. Tum, quae de precibus sponsorum, fidem infanti ante baptismum a Deo impetrantium, Elsuichius dicit, non nisi de sponsoribus piis et creditibus intelligi possunt. At quid de iis fiet infantibus, qui sponsores obtinent impios, quos cum Deus non audiatur, Io. IX. 31. Ies. I. 15. illi omnium erunt infelicissimi, cum sine fide fons tam facer iis sit adeundus. Postremo, dum, ita operari Deum ad preces, ante baptismum fusas, in infante, scribit Elsuichius, ut eundem

quasi præparet ad παλιγγενεσταν, quam baptismus conficit ac consummat, quid sibi uelit, fateor, me ignorare. Haec operatio diuina in infante ante baptismum, ex sententia Elsuichii, producit fidem. At quo sensu fides præparatio dici potest ad παλιγγενεσιαν, quae, proprie accepta, in collatione virium credendi consistit? Ergo, ubi fides adest, regeneration perfecta iam est et consummata, non autem fide infantem Deus præparat ad regenerationem. Vides, quantis obsepta sit sententia Elsuichiana difficultatibus, et quam iustae nobis sint causæ, cur suo eam auctori relinquamus.

XVII. *Ioannes Poppus*, tantum abest, ut infantibus ante baptismum tribuat fidem, ut potius Reformatos, in hanc sententiam admodum propensos, dedita opera confutet. Quod ut tanto clarius appareat, uerba eius in contextu inspicienda sunt, non autem, quod Massonius facit, præter mentem auctoris, pro animi libidine, in alienum sensum torquenda. Sunt, ait ille, qui sensiunt, eos (infantes) ante, quam baptismum accipiunt, ad promissionem pertinere, Deo acceptos, et salutis aeternae participes esse, per baptismum ouiem confirmari tantummodo, seu obsignari, illis salutem. In quam sententiam promissionem citant, *Abraham faciat, Ego Deus tuus, et seminis tui post te.* Sed sciendum est, promissionem gratiae et sacramenta coniungi a Domino, ideoque nulla humana auctoritate dividit et distracti ea oportere. Cui enim gratiam suam Dominus pollicetur, eidem et media non modo obligandae, sed etiam consequendae, illius ipsis promissae gracie præscribit. Non ergo, consequi aliquem gratiam Dei, orbitremur, priusquam mediis a Deo præceptis utatur. Atque ita fidelium liberi habent quidem promissionem, et sunt in foedere Dei etiam ante baptismum, sed tomen promissio illa et foedus omnino requirunt, ut tales baptisentur, et per baptismum

*vid. Koenig.
Theol. P.
III. §. 447.*

*Comment.
in August.
Conf. p. 148.*

finum hoc ipsum consequantur, et fiant, quod promissio et foedus illis pollicetur. Hic Massonius, paucis quibusdam uerbis a reliquo corpore orationis resectis, non, quod pueri in faba, sibi reperisse uisus est, quod Pappus, infantes *ante baptismum in foedere Dei esse*, scribit. Liberius, fateor, haec dicta sunt, cum alii Theologi, liberos Christianorum ante baptismum *in foedere esse*, negent. Aliud est, perire ad foedus Dei, et aliud, esse in foedere. Fidelium liberi ante baptismum pertinent quidem *ad foedus Dei, sed non sunt in ipso.* Est ipsis ius ad rem, sed nondum sunt in re. Patent ipsis gratiae et regni Christi fores, sed nondum per eas sumi ingressi, ut IO. GIESSENIUS *Tom. VI.* docet. Sed ad mentem Pappi magis hic respiciendum est, quam ad uerba. Negligit ille hanc distinctionem loquendi rationem, et ex eius sententia illi iam *in foedere Dei esse* dici possunt, qui peculiarem habent a Deo promissionem gratiae, nec aditu eius perfruendae prohibentur. Sed, ut fructum inde percipient, opus est, ut ad eam se applicent gratiam, quod cum ab infantibus aliter fieri nequeat, quam ipso usu baptismi, quis, Pappum, dixerit, fidem infantibus concedere, baptismo priorem. Quae animo apud se expendens IO. CONR. DANHAVERVS, *in uito collo* haec Pappi uerba *Hodosoph.* in suam a Massonio trahi sententiam, recte iudicat, ea *p. m. 1048.* que *de foedere promissa, non, ante baptismum exhibito, intelligenda esse*, monet.

XVIII. De auctore illo, qui de fide infantium ante baptismum ex instituto egit, non est, cur multa dicam. Indulget ille suo ingenio, semel iterumque a Conditoribus Commentariorum de rebus antiquis et nouis, ad Theologiam pertinentibus, non immerito notatus. Et quae ista est argumentandi ratio, Infantes, parentibus Christianis editi, inde ex partu *sanc*t*i* appella-

pellantur ab Apostolo, Ergo illi iam ante baptismum
 habent fidem. Nam tariis de caussis sanctus quis di-
 ci potest. Datur sanctitas mere *civilis*, quae legitime
 natum a spurio discernit. Datur sanctitas *ecclesiastica*
 seu *legalis*. Lex enim omnia immunda uocat profa-
 na, ut uasa, animalia, homines, extra ecclesiam de-
 gentes, sancta autem dicit Deo dicata, ut uasa sancta,
 populum sanctum. Tandem sanctitas quaedam est
Spiritualis, eaque uel *impurata*, sive iustificationis, uel *in-
 baesia*, sive renouationis, quae sine fide non consistit.
 Paullus hoc loco sanctitatem *legalem* seu *ecclesiasticam*
 potissimum respicit, et, sicut liberi Iudeorum in ue-
 teri testamento non erant *immundi*, sed *sanceti*, hoc est,
 non gentiles, sed Iudei, ita liberos Christianorum,
 qui in Iudeorum locum cum suis liberis in nouo te-
 stamento transferunt, apostolus uocat, non *immundos*,
 sed *sancatos*, propterea, quod *ius proprius ad rem*, sive ad
 media salutis obtaindae ordinaria propiorem acces-
 sum, habent, quam qui ex infidelibus et non Christianis
 procreantur. Immo *sancatos* uocat, quod ad sacra
 Christianorum non solum admittuntur, sed admissi et
 iam, legitimeque iniciati, omnium beneficiorum sunt
 participes, quae suo nobis merito optimus Seruator
 acquisiuit. Digna sunt, quae hic legantur b. CALOVII
 Conf. Art.
 IX. cap. III.
 §. XIV.

Ezeq. Aug.
 Contra. Art.
 IX. cap. III.
 §. XIV.

uerba. Concedimus quidem, ait ille, liberos fidelium perti-
 nere ad foedus Dei, quantum ad aditum, quod infantibus
 Christianorum pateat aditus ad Dei foedus per baptismum,
 qui nihil aliud est, quam *ἐπερώτηα bonaे conscientiae erga*
Deum, per resurrectionem Christi, uel medium, quo in foedus
 Dei recipimur, 1. Petr. III. 21. quo sensu infantes Christiano-
 rum dicuntur *sanceti*, 1. Cor. VII. 14. non sanctitate mere politi-
 ca et ciuili, ut uolunt Ambrosius, Anselmus, et Musculus, cum
 etiam extra ecclesiam nascentur legitimi, non spuri, nec san-
 citate

critate interna et spirituali, quod contendunt Zwingiani plerique, sed sanctitate ecclesiastica et foederali, hoc pacto, quod non fecus, atque animalia munda in veteri testamento, quae sacrificare et edere fas erat, dicebantur, et ab immundis discernebantur, ratione sanctitatis et munditiae Leuiticae, quae neque spiritualis erat, neque mere civilis, ita hic intelligenda sit sanctitas ecclesiastica, hoc est, priuilegium adeundi ecclesiam ad impetrandum baptismum, quo destituelabantur gentes, Eph. II. 11. 12. 13. sed iam frauentur, abolito discrimine inter Iudeos et gentes u. 14. adeoque gaudent liberi Christianorum illa promissione, Ego Deus tuus et Deus seminis tui. Verum in gratia Dei et foedere cum Deo non sunt Christianorum infantes ante baptismum, quantum ad acrum, quia fide destituntur, quae ad stipulationem cum Deo requiritur, quia illi, qui ex fide sunt, tantum sunt filii Abrahæ. Gal. III. 7. 8. Rom. IX. 6. 7. 8. Haec quam recte disputantur, tam superuacaneum est, iis addere quicquam, uel rei nullius momenti diutius immorari.

XVIII. Postremo nec argumentis, a Melodio allatis, quicquam subesse roboris, proprius ea mecum intuens, cognoscet. Dicit ille, *Christum præcepisse, ut nemo tingeretur, nisi qui fidem iam haberet.* Sed proferas, quæeso, illum optimi Saluatoris hac de re mandatum. Nec enim tantum tua apud nos ualeat auctoritas, ut, quicquid dixeris, id uelut de coelo dictum recipiamus. Equidem Christus, in coelum ascensurus, confirmat denuo baptismum, et, quo pacto is administrari debeat, claris simul et perspicuis uerbis ostendit, Πορευθέντες δι, inquiens, μαθητεύσατε πάντα τὰ θνητά, βαπτίζοντες διτὸς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατέρος, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίας Πνεύματος, διδάσκοντες διτὸς τῷρεν πάντα, ὅτα ἐντειλάμων ὑμῖν, *Euntes ergo, docete, uel potius, discipulos seu Christianos facite, omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,*

tris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia,
quaecunque mandauit nobis. Matth. XXVIII. 19.20. Sed
nihil hic de mandato quodam legimus, quod nemo
ab Apostolis tingendus sit, nisi qui credat. Iussit Salua-
tor, ut Apostoli, quando cum adultis res esset, initio
docerent, et praecipua doctrinae salutaris capita au-
dientibus explicarent, et deinde, si quis desiderio
flagraret, in societatem ipsorum perueniendi, aqua
initiatum susciperent, et suscepimus in sinu fouverent.
Sed penes eos non erat, uera a falsis, et fidem ab hy-
pocrisi, dijudicare. Sedulo quidem cauebant, ne
profanis impiisque ad haec sacra aditus pateret, ideo-
que, nisi edita fidei professione, neminem baptiza-
bant. Act. VIII. 37. Sed, dono interiora animi sensa in-
spiciendi destituti, impedire non poterant, quo mi-
nus hypocritae, ueraeque adeo fidei expertes, tinge-
rentur. At instas, Christus fidem et baptismum con-
iungit, immo fidem priorem facit baptismum, *Qui credi-
derit, et baptizatus fuerit, saluus erit.* Marc. XVI. 16. Sed
de fructu baptismi hic loquitur Christus, qui sine fi-
de percipi nequit. Infantes uero sicut fructum ba-
ptismi percipiunt, ita fidem eis, hoc Seruatoris pro-
nunciato moniti, tribuere non dubitamus, licet ea non
ante baptismum, sed per baptismum, in iis excitetur.
Nec est, quod dicas, *At in sacramento coenae ita usu
uenire solet, ut pro indigno reputetur coniuua, qui
sine fide accedit.* Ergo etiam, qui fide caret, indi-
gnus est, qui ringatur. De adultis id facile tibi con-
cedo, at de infantibus nego. Non enim eadem hic
infantium est conditio, atque adulorum. In his, qui
rationis sunt compotes, Spiritus sanctus per uerbum
praedicatum, animoque reconditum, fidem producit.
At longe aliter se habet cum infantibus, omni-
ratio-

rationis usu destitutis, quos cum Saluator humani generis amantissimus perinde saluos esse cupiat, atque adultos, alio modo ius prospiciens, instituit baptismum, ut hos etiam, qui propter aetatis imbecillitatem fidem ex uerbo haurire nequeunt, salutis, a se reparatae, participes reddat. Sed nec illud uitio caret, quod Melodius ea ad baptismum transfert, quae in usu sacrae coenae obseruanda occurrunt. Iuuat hic audire Vener. D. GEORG. FRID. SCHROEERVM, in Disputatione de Spiritu, Quackeros regenerante, ad hanc obiectiōnem his respondentem uerbis, *Distincta est sacramentorum, in communī sacramenti natura conuenientium, rario.* §. LXIX.
p. 32.

Coena dominica digne tantum utitur homo adultus, qui natus est facultatem, cogitationes suas, et res, quas gesit, explorandi, credendi, et sacramentum a cibo, quo utimur, physico distinguendi, Baptismus uero est lauacrum regeneracionis, in quo infantes fide et Spiritu sancto donantur. Perseueramus itaque in sententia, et, fidem iam praesentem hoc ritu indicari, merito negamus.

SENTENTIA II.

Nec, infantes aliena fide, uel ecclesiae, uel parentum, uel sponsorum, credere, hac interrogandi respondendique formula indicamus.

ANIMADVERSIO

I. *Possim docent Patres et Scholastici, ut auctor est MART. BECANVS, infantes baptizari in fide ecclesiae et parentum. Sic ex AVGUSTINO sequentia uulgo afferrunt loca. Etiam illud perscrutari homines solent, ait ille, sacramentum baptismi Christi quid parvulis profit, cum eo acceperit plerumque.*

Theol. Schol.
lafl. P. III
Tract. II.
Cap. X. p.
662
L. III. de
Lib. Arb.

c. 23. Tom. plerunque moriuntur; priusquam ex eo quicquam cognoscere
 I. Opp. p. potuerunt. Quia in re satis pie recrueque creditur, prodeſſe
 485. paruulo eorum fidem, a quibus consecrandus offertur. Ex
 hoc ecclesiae commendat faluberrima auctoritas, ut ex eo
 quisque sentiat, quid ſibi proficit fides ſua, quando in aliorum
 quoque beneficium, qui propriam nondum habent, potest aliena
 commodari. Quid enim filio uiduae profuit fides ſua,
 quam utique mortuus non habebat, cui ramen profuit mar-
 tris, ut resurget? Quanto ergo potius fides aliena potest
 consulere paruulo, cui ſua perfidia non potest imputari? Idem

Lib. I. de AVGVSTINVS alio loco, Mater ecclesia, ait, cor mater-
 meriti et remissi pecc. num paruulis praefat, ut ſacris mysteriis imbuantur, quia
 c. 25. Tom. nondum poſſunt corde proprio credere ad iuſtitiam, nec ore
 VII. p. 485. proprio conſideri ad ſalutem. Nec ideo tomen eos quisquam
 fidelium fideles appellare cunctatur, quod a credendo utique
 nomen eſt, quamvis hoc non ipſi, ſed aliis pro eis inter sacra-

DeConſer. menio responderint, ut reliqua rāceam, quae in Iure Ca-
 Difl. IV. c. nonico e Diuo Patre hanc in ſententiam leguntur.
 8. 130. 138. Serin. 66. in Augustinum hac in re ſequitur BERNHARDVS, Ne-
 Cant. p. 171. mo mihi dicat, inquiens, quia infans non habet fidem, cui
 Opp.

mater impervit ſuam, inuoluens illi in ſacramenro, quoſque
 idoneus fiat, proprio, non tantum ſenſu, ſed offenſu, euolutam
 puramque percipere. Nunquid breue pallium, ut non poſſit
 ambos cooperire? Magna eſt ecclesiae fides. Nunquid minor
 fide Chananaeae mulieris, quam, conſtar, et filiae ſufficere po-
 tutſe, et ſibi. Ideo audiuit, O mulier, magna eſt fides tua, ſe-
 at tibi, ſicut petiuiſti. Nunquid minor fide illorum, qui, pa-
 ralyticum per tegulos dimittentis, animae illi ſimul et corpo-
 ris obtinuere ſalutem? Et, paucis interiectis, Qui baec
 credit, inquit, facile huic perſuadebitur, merito eccleſiam
 praefumere, non ſolum paruulis baptizatis in ſua fide ſalu-
 tem, ſed etiam imperfectis pro Chriſto infantibus coronam
 martyrii. Horum similia inuenies apud eundem

BERN-

BERNHARDVM, qui, in epistola, ad Hugonem de *Epiſt. 77. p.*
Sancto Victore scripta, non solum statuit, antiquis ^{205. Opp.}
temporibus, et ante baptismum institutum, *paruulis et-*
iam ſolam profuſe immo et ſuffecife parentum fidem, ſed
etiam ad tempora Noui Testamenti progreſſus, Sal-
uantur et ipsi per fidem, ait, non tamen ſuum, ſed alienam.
Tacitus praetermitto Amalarium Fortunatum, Epi-
ſcopum Treuirem, Iuonem, Carnotensem, Bedam,
Ioannem, Diaconum, in Epiftola, ad Senarium, de ua-
riis ritibus, ad baptismum pertinentibus, ſcripta, alios,
eiusdem fidei alienae patronos. *Scholastici* huic ſen-
tentiae tam pertinaciter inhaerent, ut etiam, *paruulus,*
ante baptismum decedentes, uirtute fidei parentum ſaluari,
ſtuant, quorum testimonia, a IVSTO FEVRBOR ^{Faſc. II.}
NIO collecta, breuitatis studio hic omitto. ^{Disp. IX. p.} ^{386.}

II. Hos auctores multi de Romanae ecclesiae
doctoribus ſecuti, dum negant, infantes pro-
priam habere fidem, eos, dicunt, in fide paren-
tum baptizari et patrinorum, ſi fideles fuerint, ſin
minus, in fide ecclesiae, uel uniuersae societatis
sanctorum. Peculiarem hic amplexus est ſententiam.

CAIETANVS, *fidem parentum, ratus, infantibus ſine ba-* ^{conf. Gerb.}
ptiſmo poſſe applicari ſigno crucis, uel inuocata S. Trinitate, ^{Conf. Caſth.}
qui Commentarii Caietani, feſte Vasquezio, iuſſu pii V. ^{L. II. P. II.}
Pontificis expuncti ſunt in noua editione Commenta- ^{Art. XII. p.} ^{842.}

riorum. Bellarminus, Becanus, alii, concedunt, in-
fantibus in baptiſmo infundi habitum fidei, ſpei, et
charitatis, quo formaliter iuſtificantur, ſed, praeter
hunc habitum, actu quoque eos credere, dicunt, et
quidem dupliſi ſenſu, primo, *quatenus actu baptizan-*
tur, quo ſenſu Augustinus pronunciet, infantibus i-
piſum baptizari eſſe credere, ſeu fidem proſifteri, ſe-
cundo, quatenus credunt aliena fide. Posterius quo pa-

cto fiat, operaे pretium est, ut ex ipso BECANO audiamus. Hic, *Duplex est*, inquit, *aliena fides in hoc casu. Una parentum amicorumque, offerentium parvulum, ut bapizeatur, altera matris ecclesiae, cuius gremio inseritur parvulus per baptismum.* Prior fides prodest illi, ut bapizetur. Si enim parentes uel amici, qui portant parvulum ad baptismum, non crederent, prodeſſe illi baptismum, non uique portarent ad baptismum. Posterior prodest, quia, cum parvulus per baptismum fieri membrum ecclesiae, et omnia membra corporis participant eundem spiritum et animam, consequens est, ut fides reliquorum membrorum censematur etiam pertinere ad hoc membrum nouum, quod per regenerationem illis unetur et coniungitur. Hactenus Becanus.

III. Argumenta, quibus hanc de infantibus aliena fide creditibus opinionem confirmare uulgo solent, eo redeunt, quod, sicut infantes alienam sustinent culpam, ita, eos, aequum sit, aliena fide liberari. Deinde recipiunt seſe ad exempla eorum, quos fide aliena mirum in modum adiutos, suisque miseriis erexitos esse, sacrarum literarum monumenta prodant.

contra Iulian. Pelag. Lib. 6. c. 4. Tom. VII. Opp. p. 75^a. Miss. Ital. T. I. P. II. p. 72. Sic AVGVSTINV, *Alienum quippe opus est*, cum credit per alterum, *sicut alienum opus fuit*, cum peccauit in altero. Sic IOANNES, Diaconus, in epistola ad Senarium, a MABILONIO edita, *Vnde scire deberis*, inquit, *quia, dum a parentibus aut a quibuslibet aliis offeruntur, aliena eos professione saluari, necesse est, qui fuerant alieno errore damnati.* Sic BERNHARDVS, Augustini rationes secutus, *Dignum nempe est*, inquit, *er ad Dei spectat benignitatem, ut, quibus fidem aeris denegat propriam, gratia prodeſſe concedat alienam.* Nec enim omnipotens iustitia propriam puniat ab his exigendam fidem, quos nouit propriam nullam habere culpam. Porro aliena opus est fide, cum sine forde non poscentur aliena, quotenus nec a parvulis alienum sit, quod de

de omnibus generaliter dicitur, Fide mundans corda illorum. Nec dubium, quod macula, contracta ab aliis, aliorum quoque fide ualeat uel debeat emundari. Exempla, quibus innituntur maxime in hac caussa, omnium optime ex sermone, ad Gundulfianos habitu, perspici possunt. Omne hi tingendi infantes negotium penitus reiecerant, caussam interferentes, quod demonstrari non posset, quo pacto fides aliena paruorum commodis inferuiret, quos meliora edocturus

*Dacher.**Spicileg. T.**I. ed. rec.**p. 610.*

GERARDVS, Cameracensis et Atrebatensis Episcopus, ita compellat, *Quod si refugitis credere, ut qui paruulum, fidei*

nescium, suaeque salutis ignarum, nec regenerationis curam

*baben tem, de fonte suscipiunt, eorum fides aut confessio illi puer
ro nequaquam proficiat, consequitur, ut nec paralytico offe-
rentium fidem profuisse credatis, de quo Euangelista dicit, quia
uidens Iesus fidem illorum, dixit paralytico, Confide, fili, re-
mittuntur tibi peccata tua. Sed nec illud recipiendum aesti-
mabitur, quod in Euangeliō legimus de muliere Chanaea, ut
fides eius ad impetrandam salutem filiae profuerit. Porro
alius Euangelista dicit, quod offerebant Iesu paruulos, ut ma-
nus eis imponeret, et complexans eos, et imponens manus,
benedicebat eos. Quia in re datur intelligi, quia non paru-
lorum fides, quae adbuc nulla fuerat, sed offerentium fidelis
credulitas, ut paruuli benedicerentur, obtinuerat, sicut Do-
minus dixit centurioni, pro salute serui postulanti, Vade, et,
sicut credidisti, fieri tibi, et saluator est puer in illa hora. Quae
deo feliciter ab eo disputata sunt, ut Gundulfia-
ni, sicut in *Commentatione de aduersariis* huius caerimo-*

p. 10.

*niae demonstrauimus, non habentes, quod regere-
rent, in iis sibi acquiescendum esse, existimarent.*

III. Nec desunt inter Reformatos, qui suam faciunt hanc de fide aliena, eiusque in saluandis infan-
tibus efficacia, opinionem.

*F 2**ba*

ba illa Ioannea, *Si quis uiderit fratrem suum peccare peccatorum non ad mortem, petet, et dabit ei uitam, peccantibus non ad mortem, uberiori explanatione illustraturus, Quid uult, inquit, in predictis uerbis aliud, quam ut fiducia nostra in Domino etiam ad aliena peccata abolenda ualeat.* Et hinc libenter in eam adducor sententiam, quod ad preces baptizantis, et leuantum puerum in baptismō, originarium peccatum condonetur, et impetretur Spiritus sanctus. Nam si precibus nostris olla fratrum delicia possumus tollere, cur non et alienum illud, tametsi nonnunquam paruum grauitatem, et fidem compatrum, in tanto sacramento cernamus, quem locum excitat SCHLVSSELBYRGIVS Theologiae Calvinisticae libro primo. In primis autem THEODORVS BEZA, quanquam recte iudicat, ne infantes quidem absque fidei interuentu posse Christo eiusque beneficiis potiri, tamen, quaenam sit illa fides infantium, sollicite inquirens, eo prolabitur, ut, eos non sua, sed aliena, fide ad salutem peruenire, dicat. Sua autem cuiusque fides ea proprie esse dicitur, qua sibi inhaerente sit predictus, cui opponitur alieno, id est, quaesit in altero, ut ipse

Respons. ad BEZA has notiones explanat. Quibus praestructis, A. Coll. Inf. Colloq. Mompelg. non ineft, ut tamen pro sua in illis ex Dei pacto censeatur, P. II. p. 101. ea uidelicet fides, qua parentes non sibi solis, sed suis quoque posteris, aeternae in Christo uitiae ius, Deo semper, ut saepe dixi, relictis particularibus in hac discernenda sobole iudiciis, per Dei misericordiam receperunt. Ero enim, inquit ille, nobiscum pacifcens, tibi et semini tuo Deus, etiam, ut alibi loquitur, sui ipsius interpres, ad mille usque generationes. Et, paucis interiectis, fidei huius alienae indolem enucleatus traditurus, Dupl. ait, personam sufficientem sancti parentes, unam, ut prioris Adami filii, caro carnem gignentes, alteram, ut in posteriore Adamum per fidem

fidem adoptari, donum illud ad filios, non iam suos, sed Dei,
 transmittentes. Num enim deteriorie condione fuerint san-
 ctorum progenies in hoc sanctissimo et in aeternum immuta-
 bili foedere, quo salus aeterna patribus et liberis in infinitum
 tribuitur, quam sint quorumvis hominum in ciuilibus omni-
 bus contractibus liberi, in quibus parres sibi et suis descen-
 dentibus omnibus de re quopiam pepigerunt? nisi si forte ca-
 su quopiam haereditatis iure exciderint, aut in donationis con-
 tractu cautum sit, ut donanti liberum sit, ex donatarii sobo-
 le, quos uoluerit, seligere, ad quos demum hoc beneficium sit
 transiitrum. Et curnam, sicut iuris ciuilis fictione sui haer-
 edes una quadam esse persona cum patre censemur, istud
 quoque in ista spirituali generatione apud Deum non ualeret?
 Huc enim nos ducunt illae similitudines primitiorum et totius
 mossae, radicis et ramorum, non, quod fideles ex fidelibus
 propagata fide nascantur, nihil enim hic natura haereditarium,
 sed quia sancti ex gratia gignunt ex eadem gratia sanctos,
 ui foederis, per fidem apprehensi. Sed, ne quid in fide
 nostra desideretur, audiamus tertium, PERKINSI-
 VM scilicet, de hoc negotio ita pronunciantem, Deus *De Caffb.*
 dicit, Ero Deus tuus, et seminis tui post te. *Huius promis-* p. 291.
tionis uirtute fretus parens hoc foedus pro se et puerulo suo op-
prehendit et amplectitur, et puerulus credit, propterea, quod
pater credit. Quae doctorum Reformatorum testimo-
 nia diligenter sunt obseruanda, propterea, quod **GVIL.** *Oria Theol.*
SALDENVS, *Bolduinum nostrum nugari, uel columniari po-* L. III. Ex-
rius, scribit, *Theologis Reformatis* eam tribuendo *erc. VII. p.*
 sententiam, quod putent, *Infantes parentum suorum fide* 544.
credere, ideoque admitti ad baptismum. Interrogat ille,
 quasi omnium rerum ignarus, *Quis enim Calvinianorum,*
ut odiose nostros uocat, id unquam dixit? At, perfectis iis,
 quae a nobis in medium sunt allata, qui de Caluini af-
 seclis id dixerint, facile cognoscet.

V. Proxime ad hanc Reformatorum sententiam accedit PETRVS POIRETVS, dum, solis liberis sanctorum, putat, baptismum conferri posse, ea quidem de causa, quod hi pro ramis eiusdem naturae, atque in eodem statu, in quo parentes sint, coram Deo habeantur. Collaudat fidem alienam, quae infantibus non parum profit, ita, ut, per eam et ex ea, existimet, eandem uirtutem uere in liberos propagari, quod Beza aliisque Reformatorum negant. Sic enim ille, *De maioribus piis eadem dicenda sunt, quae de impiis, iuxta leges contrariantur.* Adeoque gratiae ac uirtutes parentum ad liberos transeunt, et in fundo eorum tamdiu adsunt, dum illi potestati originis suae probae suberunt, uerum, ubi posteri libertatem attingent, pro arbitrio iam fient, quales ipsi se esse uolent. Quam sententiam e sacris literis probaturus, ad eadem se se loca recipit, quae Beza ad defendendam opinionem suam paullo antea afferebat.

Exod. XX. Deus enim, ita pergit POIRETVS, facit misericordiam suam in millia bis, qui diligunt eum, et si radix sancta est, rami quoque sancti erunt, si primitiae sunt sanctae, et masso quoque. Sic liberi fidelium uere sancti dicuntur, liberi uero impiorum a Deo alienari a matrice seu a natiuitate. His fundamenti loco positis, ubi ad locum de baptismo peruenit, mentem suam de fide aliena his uerbis prodit,

Oecon. L. IV. c. V. p. 116. *Ergo si parentes sint ueri Christiani, hoc est, homines peccato mortui et Spiritui Dei uiuentes, liberi eorum, dum in infancia agunt, perinde atque ipsi parentes, peccato mortui ac Spiritu sancto charitaris uiuere, etiam si baptismu nondum absuti sint, censemuntur, uidelicet propter dispositionem, fidem, ac charitatem uiuam, parentum suorum. Et ex hac ratione, quod infantes isti, hominum iustorum liberi, ipsam rei ueritatem iam in se se possideant, sacrae huius ceremoniae, baptisni scilicet, usum, si forte parentes eorum,*

Oecon. diuin. L. II. c. XV. p. 545.

rum, a Deo moti, id desiderent, iis, pronunciat, de-negari non debere. Sed in ipso etiam baptismo, quem ad confirmandam tantum gratiam institutum esse, di-cit, fidei alienae in infantibus uirtutem praedicat,
Quandoquidem Deus, inquiens, pro sua bonitate, gratias suas auget iis, qui, principio fidei uiuae animati, caerimoni-am sacram recipiunt, quis negabit, infantes hōc per bonitatem Dei ac fidem parentum suorum sanctorum in eiusdem usū diuinæ gratiae augmentationem accepturos esse. Et hanc sententiam aliae mentes, a Deo illuminatae, si Poireto creditimus, ab ipso didicerunt.

l. t.

VI. Nec immerito hoc referas GEORG. CALIX-TVM, et CONRADVM HORNEIVM, Theologos Helmstadienses, quorum ille, in *Disputatione Theo-logica de baptismo*, ritum nostrum ab inquis criminationibus defensurus, eo descendit, ut, ad alienam hic fidem respiciendum esse, moneat, *Infantes uero, inquiens, nec intelligere, nec fari ualentibus, interrogare, ad renunciationem et fidei professionem eos poscere, ab aliis autem responsa expectare, non statim ineptum ac otiosum uideatur.* *Actus enim parentum, susceptorum, aliorumque, infantes baptismo sistentium, sunt actus infantum, et ecclesia, cuius brachiis ad Christum deferuntur tenelli, illis cor quasi commodat ad credendum, aures ad audiendum, intellectum ad capien-dum, linguam ad respondendum.* *Quomodo enim tutor causa pupilli sui plane infantis agit, loco eius interrogatus responderet, uel negando, uel affirmando, illique ignorantib. m. prodest in foro, sic in ecclesia et causa salutis animae professe potest infantis, quod per spiritualem tutorem, seu confitendo, seu negando, eius nomine agitur, credit b. m. infans, ait, negat, per susceptorem, et uicissim susceptor infantis credit, i. e. ad eius utilitatem et bonum.* Eodem modo CONR. HOR-
P. II. Disp.
Theol.
NEIVS alienae fidei tantum tribuit, ut, eam, putet, Disp. 2.
infan- Sect. I. q. 2.

infantibus, tam ad tingendum oblatis, quam ante baptisum decedentibus, multum ad obtinendam salutem prodesse. Nam ut iis, inquit, qui reipsa baptizantur, ecclesiae, parentum, et qui baptismos eos offerunt, fides propria illorum fide deputatur, sic etiam ecclesiae et parentum uotum, quo ad baptismum, quem consequi nequeunt, destinati erant, pro ipsorum infantum uoto et uoluntate a Deo batetur, ut absque sacramento ad preces ecclesiae et parentum eos a peccato purget, qui per illud alias id ordinarie facere constituit. Quae loca, una cum aliis, afferunt THEO-

*ad art. 9.
Aug. Conf.
punct. 4.
p. 86.*

LOGI VITEMBERGENSES in Consensu repetito fidei uere Lutheranae.

VII. Sed quotquot tandem sint, qui ita sentiant, Lutherani, tantum abest, ut, ritu interrogandi infantes de fide, opinionem de infantibus, uel creditibus aliena fide, uel etiam in fidem alienam tingendis, communiant, ut potius eam, tanquam alienam, et Sacris literis contrariam, e finibus suis propellant, quod initio ex ipsis libris Symbolicis demonstramus.

VIII. Primo enim hac se suspicione liberant ecclesiae nostrae, dum hominem non nisi sua fide iustum saluumque fieri docent, quod toties faciunt, quoties ad uerba illa prophetae prouocant, צדיק באמונה יוניה iustus in fide sua uiuet Habac. II. 4. Evidem Clar.

*Bibl. Acc.
cent. P. II.
p. 530.*

DACHSELIVS suffixum in uoce באמונה ad Messiam trahit, ita, ut sensus sit, Iustus in fide illius, scilicet Christi, uiuet. Sed, cum in antecedentibus nulla de Christo, si uerba scilicet obserues, fiat mentio, communem interpretationem retinendam merito censemus, ducem hic nacti solertissimum sacrarum literarum interpres, IO. TARNOVIVM, qui, haec uerba illustraturus, Iustus, inquit, per fidem in Christum, qua meritum eius sibi applicat, etiam de se desperans, propter hunc se Patri

*Comment.
ad b. l.*

*tri placere, certe sibi persuadens, saluabitur ex fide sua, sua,
non aliena.* Quanquam autem in *Apologia Augustanae* p. 79. 161.
Confessionis, ubi de iustificatione et de poenitentia sermo est, omisso uocabulo *sua*, uerba ita recitantur, *Iustus ex fide uiuet*, tamen subiecta explicatio docet, suam cuiusque fidem intelligi, non alienam. Sic enim auctor *Apologiae*, citatis prophetae uerbis, pergit, *Hic primum dicit, homines fide esse iustos, qua credunt*, p. 79.
Deum propitium esse. Sic ipse Apostolus hanc particulam omisit, Rom. I. 17. Gal. III. II. Hebr. X. 38. sed non alia de caussa, quam quod in locis iis, ubi de iustificatione in genere agit, non multum proposito suo inserueret, ut TARNOVIVS sapienter monet. Immo, ne de hac ecclesiarum nostrarum mente dubites, in solida Declaratione hanc ipsam uocem inuenies adiecitam, *Iustus fide sua uiuer.* Deinde ea hic considerari de- p. 697.
bent, quae de uirtute baptismi in excitanda fide e libris symbolicis paullo antea a nobis sunt adducta. Quod si enim in infantibus per baptismum fides excitatur propria, quid opus est, ut aliena eos fide credere, doceamus? Evidem qui ad alienam configiunt fidem, id faciunt necessitate quadam compulsi. Existimant enim, fidem propriam in infantes non cadere, nec baptisi ei am esse vim, ut fidem in iis accendat. Sed utrumque dum affirmant ecclesiae nostrae, nulla caussa est, quare alienam aduocent fidem. Tum uerba *Catecisis Maioris* rem omnem prorsus conficiunt, quae ita se habent, *Ad hunc modum cum puerorum bapti* p. 546.
Mo quoque facimus, puerum ecclesiae ministro baptizandum apportamus, bac spe atque animo, quod certo credat, (nempe in baptismo et per baptismum, quod sequentia docent) *et precomur, ut Deus eum fide donet.* Immo nec illud silentio praetereundum, quod b. LVTHE-

p. 540. RVS in *Catechismo Maiore* considerate dicit, Deum *in nobis* facere et operari omnia, quae in baptismo nobis offerit et confert, quod argumentum AEGIDIVS STRAV-

p. 423. CHIVS in *Consensu fidei uere Lutheranae vindicato* Helmsta-
dienibus opponit. *Postremo, absurdum* pronunciant pii
in Aug.
Conf. p. 36. Confessores, quod monachi, *se aliis mutuari sua opera,* dixerunt. Atqui absurdum non esset, tale quid asserere, si ipsi, infantes in baptismo fidem parentum, uel offerentium, mutuo accipere, existimarent.

VIII. Idem probatum damus ex praestantissimorum Theologorum testimoniorum, qui hanc de fide aliena opinionem reiiciunt, et, in ritu nostro ullam fidei alienae rationem haberri, negant. B. Lutheri quae mens sit, tum ex uerbis eius, e *Catechismo Maiore* petitis, tum ex iis, quae b. Elsiuchius, ad sententiam suam tuendam, in medium attulit, satis iam satis apparet. Immo hanc ipsam de infantibus, aliena credentibus fide, opinionem ex ritu nostro oppugnat, dum, susceptores, dicit, pro infantibus quidem respondere, at non pro infantibus credere, cum ipse infans tingatur, immo, mendaces fore, pronunciat, susceptores, puerum credere, affirmantes, nisi ipse habeat fidem. Verba eius in hanc rem, supra a nobis

p. 23. allata, hic relegi possunt. Sic AEGID. HVNNIVS hanc de fidei alienae virtute sententiam fortissime profliga-

de Sacram.
p. 274. uit, cuius uerba digna sunt, quae hic legantur. *Quid si forte,* inquit, *infantes saluarentur fide parentum suorum?*

Immo sua quisque fide uicturus est, inquit Scriptura. Et sua cuique fides applicat iustitiam Christi, et non aliis. Rom. IV. *Ei, qui credit in eum, qui iustificat impium, imputatur sua fides ad iustitiam.* Quemadmodum enim incredulitate suo parentes liberorum credentium saluti non officiunt, sic fide sua liberis non credentibus solutem non applicant, sed

sibi

sibi duntaxat. Immota quippe consistit regula, Ezech. XVIII.
 Iustitia iusti super eum, et impietas impii super eum. Et
 quia regeneratio requiritur in saluandis infantibus, secundum
 iuromentum Christi his positum, Io. III. sequitur, illis ad sa-
 ludem esse necessariam fidem propriam. Nemo enim est regene-
 ratus aliena fide, sed omnino propriam ponit fidem hominis ex
 Deo regeneratio. Et Paulus, de fide iustificante disputans,
 ait, Corde credi ad iustitiam. Rom. X. Nemo autem credit
 corde alieno, sed quisque suo. Et rursum scribens, Christum
 per fidem habitare in piorum cordibus, Eph. III. clarissime do-
 cet, ipsum in iis habitare cordibus, quae fide imbuta sunt, non
 in iis, quae a fide sunt vacua et inania. Quodsi quis dicat,
 infantes credere corde alieno, nempe parentum suorum, quam
 hic erit absonus, quam disputerat ad prodigium usque absurdus?
 haud aliter, ac si quis contendas, posse aliquem intellige-
 re anima aliena, sua interim anima manente omnis intelli-
 gentiae expertise. LEONARD. HUTTERVS in uestigi-
 is D. Lutheri in hac caussa presso pede insistit, Quom, LL. p. 667.
 inquiens, alius pro alio baptizari non potest, tam etiam cre-
 dere alius pro alio nequit. Fidem quidem precando alii aliis
 impetrare possunt, sed fidem suam alii communicare nemo fi-
 delium potest. Denique DAVID. LOBECHIVS litem
 integrum dirimit, Fidei confessionem, inquiens, et abre-
 nunciationem per compates retinemus, non quod infans ba-
 ptizetur in fidem compatriorum, Iustus enim sua fide uiuit, aut
 quod compates pro infante credant, Nemo enim pro alio cre-
 dere aut baptizari potest, sed ut hoc ritu testificemur, quod
 Deus etiam in infantibus per baptismum efficax sit, et pios
 ac sanctos motus pro ipsorum modo accendar, ut Gerhar-
 dum, Affelmannum, Calouium, Quenstedtium, alios,
 argumentum hoc de fide aliena ex instituto discutien-
 tes, breuitatis studio omittamus. His singulorum te-
 stimoniis addimus unicum, communis fere ecclesiae

recte sentientis uoce editum, quod habetur in *com-*
Art. IX. *sensu repetito fidei uere Lutheranae.* Reicimus eos, qui
punct. IV. docent, *adultos tantum fidem propriam habere, infantes*
aurem saluari fide non propria, sed aliena, ecclesiae nempe,
parentum, aliorumque, baptismo offerentium, quorum fides
pro propria infantum fide deputetur, et qui illis cor quasi com-
modent ad credendum. Immo huic, de infantibus, in baptisi-
mo aliena fide creditibus, sententiae tam non fauent
Theologi nostri, ut, ne eos quidem, qui, uel in utero
materno, uel in lucem editi, ante baptismi usum, morte
repentina extinti sunt, fide aliena saluos fieri, dicant.
Neutquam statuendum est, uox est IVSTI FEVRB OR-
Pasc. II. *NII, quod Christianorum fidelium liberi, qui ἀειωλίοι ex*
Disp. IX. *hac uita discedunt, aliena fide iustificantur, ac salute ac uita*
tb. I. *aeterna donentur, et non propria, a Deo, in illorum cordibus*
extraordinarie operante, accensa. Eundem in modum

Breu. Ex- IO. HULSEMANNVS, *Nec parentum pietas, inquit, me-*
zens. cap. X. *detur non baptisatis filii, aduersus damnationis reatum, sed*
n. XVI. p. *Dei, baptismum morte anteuerentis, benignitas liberat reos*
m. 137. *per fidem, circa baptismum in illis excitatam, pro cuius ex-*
citatione orant parentes, baptismum filiorum suorum data ope-
ra non impedites. Quae omnia si recte expendan-
tur, non facile quenquam, credo, tam iniquum rerum
existimatorem fore, quin nobis, ritum interrogandi
infantes de fide, ex sententia ecclesiae Lutheranae, de
fide aliena explicandum esse, negantibus, sua sponte
assentiantur.

X. Nec ea sunt de hac causa a nobis dissentien-
tium argumenta, ut nos sententiae nostrae poeni-
teat, uel alienae fidei defensio suscipienda esse uidea-
tur. *Aequum esse, dicunt, ut, qui aliena culpa sine*
miseri, aliena seruentur fide. Sed haec alienae cul-
pae et alienae fidei comparatio sacris literis repugnat.

Paul-

Paullus sane, monstraturus principium peccati et reparatae salutis, non Adamum et ecclesiam, sed Adamum et Christum, inter se comparat, Rom. V. 15. sqq. et ratio disparitatis per se manifesta est. Adamus sustinuit personam omnium et singulorum hominum, etiam parvulorum, unde, ipso peccatore facto, omnes quoque homines, ex ipso nascituri, peccatores sunt constituti. At quomodo probabis, quod ecclesia sustineat personam parvulorum? Praeterea peccatum illud alienum in posteris, ut philosophi loqui solent, subiective et realiter inheret, et per naturalem propagationem transmittitur, estque malum uelut hereditate a maioribus acceptum. Quis idem dixerit de fide aliena? Poireto, fidem aliasque uirtutes piorum parentum generando in liberos transfundi, qui assentient, respondeat AEGID. HVNNIVS, ut, foetum hunc ingenii depravati longe ante partum enectum esse, intelligas.

Immo usque adeo, ait ille, regeneratio a parentibus per carnem natuitatem non transmittitur in liberos, ut, si exceptum de Sacram. p. 256.
pla ponderemus, haud raro parentes regenerati liberos habebant deteriores, quam homines effuse impii et flagitosi. Ex Isaaco et Rebecca, sacrificiis coniugibus, nascitur Esau. Ex Abra, homine prodigiose impi, nascitur religiosissimus Deo-que amantisssimus Hiskias. Quodsi parentum regeneratio atque pietas tranfunderetur in liberos per conceptionem et natuitatem carnalem, nonne multo uero similius erat, Esauum, ex regeneratis ortum, fore pium, Hiskiam, ex impiis parentibus natum, fore impium? Quoniam uero generatio carnis est opus naturae, quae originali uitio depravata est, et sic secundum carnem, in qua, teste Poulio, malum inabitat, hinc adeo ex parentibus, quamlibet renatis, non nisi peccatores et natura filii irae nascuntur. Quemadmodum de rena-

minem ad imaginem suam, qui, si lapsus non esset, genuisset filium ad Dei imaginem, quam in posteris propagaturus fuerat. Exempla eorum, qui fide aliena uel conualuerunt, uel, defuncti iam, in uitam redierunt, plane ab hoc argumento sunt sejuncta, dum nusquam legimus, quod ipsi aliena fide crediderint, uel aliena fide ad aeternam salutem aspirarint, quod tamen erat demonstrandum. Evidem haud inuiti concedimus, fidem alienam prodesse hominibus, propria etiam fide destitutis, ad obtinenda beneficia, ad felicitatem huius uitae necessaria, immo etiam a Deo impetrare, ut infantes aliquae propria fide imbuantur, qua de re eleganter commentatus est b. IO. GEORG. NEVMANNVS, in peculiari *de fide aliena* disputatione. At longissime differunt inter se, fidem aliis a Deo precibus, e fide profectis, impetrare, et salutem eis, qui propria fide carrent, aliena fide applicare. Nec est, quod dicas, At paralytico optimus Saluator, fidem offerentium intuentes, peccata condonauit. Quodsi ergo fides aliena id efficit, ut homo, nulla propriae fidei habita ratione, scelerum suorum impetraret ueniam, quid prohibet, quo minus, infantibus eandem applicari posse medicinam, pronunciemus? Sic IOANNES, Apostolus, alienam fidem in hac caussa mirifice praedicat, *Si quis, inquiens, uiderit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petet, et dabit ei Dominus uitam.* I. Io. V. 16. Et D. IACOBVS, in eandem ingressus sententiam, *Oratio fidei*, ait, *seruabit laborantem, erigetque eum Dominus, qui si peccata commiserit, remittentur ei.* cap. V. 15. Sed uitam a Deo et salutem qui *adulto* impetrare potest, multo is facilius *infanti* sua fide suisque precibus subueniet, reliquis gratiae subsidiis orbato. Atenim uero nec ista tanti sunt ponderis, ut a mea me opinione patiar dimo-

dimoueri. Nam ad paralyticum quod attinet, uerba illa, *καὶ ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς τὴν πίστιν αὐτῶν, Καὶ οὐδισσεῖς Ιεζος σιδημ* illorum, licet contendere nolim, ad solum paralyticum referenda esse, quod asserit IO. FRID. HOMBERGIVS, tamen, nec paralyticum excludere, cum in antecedentibus eius perinde ac baiulorum fiat mentio, per se patet. Recte hic HOMBERGIVS, *Posito,* ait, *etiam ad reliquorum fidem Christum respectum habuisse,* non tamen ob hanc solum causam dici potest peccata paralytico remisisse, sed quia et ipse paralyticus credebat, et fiducia ac preces reliquorum accedebant, quibus commotus Christus eo libenter eum sanabat. Hinc MARTIN. CHEMNITI^{us}, *Harm. cap. XLIII. p. m. 347.* reiecta Hieronymi et Ambrosii opinione, qui uerba haec de solis portantibus intelligunt, Chrysostomum sequi mauult, *qui*, ut uerba eius sonant, *rectius fidem illorum referat, et ad portantes, et ad paralyticum, qui et remissionem peccatorum et sanitatem accipit.* *Nisi enim fidem habuisset, non tam patienter sustinuisse super tectum submitti.* Sed largiemur quoque, quanquam, ut hoc faciamus, nulla nos urget necessitas, haec tierba de solis portantibus accipienda esse, nonne Christus, *quando spirituale beneficium remissionis peccatorum ei denunciat, fidem propriam ipsiusmet paralytici diserte requirit, Confide, fili, remittuntur tibi peccato tua,* ut recte AEGID. HVN^{us} infert. Immo non requirit tantum fidem, haec ad paralyticum fatus, sed, quae singularis uerbi diuini uirtus est, cohortando fidem ipsam in animo eius producit. Idem HVNNIVS ad alterum argumentum, ex epistola Ioannea petitum, olim iam respondit, uerbis D. Apostoli, *Et dabit ei Dominus uitam, hanc subiiciens interpretationem, hoc est, dabit ei fidem propriam, qua possit apprehendere uitam.* De loco Iacobi expendas, uelim, uerba CASP. ERAS. BROCHMANDI, qui,

*Comment.
ad b. l.*

qui, *An alienae fidei oratio remissionem peccatorum impre-
trare possit aegroto*, inquirens, concedit quidem, *alienam
fidem etiam beneficiis spiritualibus obtinendis sufficere*,
sed hac utitur cautione, ut, haec non ita accipienda esse,
*moneat, quasi aliena fides et oratio impetrare possit remissionem
peccatorum*, *quicquid demum homo ille agat, pro quo preces
funduntur, sed si conuersonis media admittat, nec violenter a se
repellat*. *Nam nouimus*, inquit, *quomodo pi pro aliis, sed
resipiscientiae media respuentibus, orarint, sed nullo successu*.
Quam in rem uideri iubet 1. Sam. XVI. 1. 2. Ezech.
XIV. 14. 1. Ioh. V. 16.

XI. Becani sigillatim opinionem ut remoueam, lu-
bens fateor, quam de duplici fide aliena assert distin-
ctionem, quarum una sit parentum uel amicorum
offerentium, altera ecclesiae, eam me non satis asse-

*Exam. L.
II. Manual.
Bec. p. 164.*

qui, et, duce **BALTH. HILSCHERO**, sic argumentor,
Erit fides parentum et amicorum uel eadem, quae est ecclesiae,
uel diuersa. Si eadem, non opus est distinctione. Si diuersa,
*sequitur, alia fide saluori totam ecclesiam, alia ipsis mem-
bro, quod cerre absurdum. Scriptura enim, uti unum tan-
tum Christum, ita etiam unum tantum agnoscit fidem. De-*
inde facile quidem concedo, fidem alienam prodesse
infantibus, ut ad baptismum afferantur, sed quis inde
dixerit, ipsis credere fide aliena? Valde est impro prius
sermo, baptizari in fidem alienam, et credere fide aliena, hoc
est, per alias fidales homines adduci ad baptismum. Quis enim
boc nego quiam, infantes ipsis per se uenire ad baptismum
non posse, uel eum petere, ut Bellarmino, candem cum

*T.II. Disp.
Graff. p. 557.* **Becano** infanti tibiam, **BALTH. MENZERV** re-
spondet. De posteriori fide aliena nihil aliud dicit
Becanus, quam quod ea censemur cum infantibus com-
municari. Sed, cum nullam afferat probationem, nec
modum ostendat, quo ista fiat communicatio, pari-
ture a nobis censemur non communicari.

XII.

XII. *Theod. Beza suam ipse euertit sententiam, dum fidem alienam infantibus ita tribui, scribit, ut tamen pro sua in illis ex Dei pacto reputetur. Nam sua cuiusque fides, ut ipse ait, ea proprie esse dicitur, qua sibi inhaerente sit praeditus, cui opponitur aliena.* Quod si uero inter suam cuiusque fidem, et inter alienam, datur oppositio, quo pacto aliena fides in infante respici potest ut sua ? Instat ille, *Siccine deteriore conditione fuerint sanctorum progenies, in hoc sanctissimo et in aeternum immutabili foedere, quo salus aeterna patribus et liberis in infinitum tribuirur, quam sunt quorumvis hominum in civilibus omnibus contratribus liberi, in quibus patres sibi et suis descendantibus omnibus de re quopiam pepigerunt?* Innititur hic Beza in promissione, Abrahamo facta, *Ero Deus tuus, et Deus seminius tui*, quae uerba licet foederis nomine subinde adducantur, tamen non ita pro foedere haberri debent, ut Beza arbitratur. Nec enim Abrahamus sibi, et, qui ex se nascituri erant, liberis, paciscendo prospicit, sed Deus, pro infinita sua bonitate, Abrahamo et semi eius optima quaque pollicetur, ita quidem, ut, sicut promissiones diuinæ fidem exigunt, immo fidem, uel excitant, uel confirmant, ita etiam hoc-loco, quantum in se possum sit, liberalissime omnia de se suaque uoluntate promittat, quae tamen, nisi fides accesserit, suo excidunt fine. *Quemadmodum ergo homines e pacto ciuili nihil amplius sibi suisque liberis polliceri possunt, quam quod ipsa pacisciendi formula continet, et uoluntati paciscentium est consentaneum, ita temerarium est, uerba promissionum diuinarum, cum fidem propriam postulent, eo trahere, quasi omne id, quod in se comprehendunt, sine fide ad posteros transmittant.* Loquatur hic pro nobis **AEGID. HVNNIVS**, obiectionem illam his diluens uerbis, *Hanc promissionem re- de Sacram, spectu p. 275.*

Spectu seminis, seu liberorum, non nisi cum determinatione fidei propriae accipiendam, irrefragabilem habemus interpretatem Paullum, Apostolum, qui, cum meminisset Abramam, et seminis eius, ac promissionum, quae dictae sunt ei, explicat ibi, quinam censeantur pro genuinis filiis Abrabae, et quinam sine illud semen, illique posteri, ad quos fructus promissionum referatur. Sic enim scribit Gal. III. Scitis, quod, QVI EX FIDE SVNT, hi sunt filii Abrabae. Praeuidens autem Scriptura, quod EX FIDE iustificer gentes, prius rem laetam nunciauit Abrabae, Benedicentur, inquiens, in te omnes gentes. Itaque, QVI EX FIDE SVNT, benedicuntur cum fideli Abram. Quare, et si concedimus, promissionem illam, Ego Deus tuus, et Deus seminis tui, etenus pertinere ad omnes fidelium parentum liberos, quod illis per eam quidam accessus pateat ad media, per quae diuino inseruantur foederi, ramen nequaquam eo usque extendenda est promissio, quasi Dominus fidelium parentum liberis immediatuni quendam operiar aditum ad inuolandum h[oc]ec ius*θεοτας* beneficia sine fide proprio, alias bodierni Iudei obstinati et increduli, quia semen Abrabae sunt secundum cornem, fruarentur hac promissione, et propitium haberent Deum, quod falsum esse, clamat omnis Scriptura. Ergo Abrahamus promissionem, sibi suisque liberis datam, ita apprehendit, ut, plena animi fiducia in eam tanquam in suauissimum solatium ferretur, suoque posteros exemplo doceret, quo pacto et ipsi hanc sibi promissionem applicare deberent, non autem apprehendit ita, ut simul pro aliis crederet, quod aequre absolum est, ac si quis pro aliis edere uel bibere uelit. Nec similitudines illae *primitiarum et totius massae, radicis et romorum*, a Paullo Rom. XI. 17. adhibitae, eo nos ducunt, ut, infantes, ex parentibus pis procreatos, horum fide uel iustos fieri uel saluos, existimare debeamus. Finis Apostoli hic est, ut ostendat,

stendat, Iudeos, nec absoluto quodam et arcano Dei decreto, nec ita, abiectos esse, ut nulla plane spes redeundi in gratiam cum Deo ipsis relicta sit, sed habere eos omnino ius et potestatem adeundi bona, per Christum parta, modo ipsi, neglecto salutis ordine, arroganter et contumaciter ne resistant. Quod ut tanto dilucidius demonstraret, afferit in eam rem geminam similitudinem, alteram e lege, alteram e natura, petitam, Εἰ δὲ ἡ ἀπαρχὴ, inquiens, ἀγία, ναὶ τὸ Φύγαμα, ναὶ εἰ ἡ πίστη ἀγία, ναὶ ὁ ἀλάδος, Si uero primitiae sanctae, et massa, et si radix sancta, etiam rami. Per primitias quod bene monet PHIL. LIMBORCHIUS, non in- in Com-
telligit proprie primitias frugum, quae Deo secun- ment. ad
dum legem Mosis offerri debebant, sed primos panes,
qui, ex demessis frugibus confecti, Deo offerebantur,
ita consecrandi, ut, illis oblatis, tota massa redderetur
sancta, et Israelitis ea ad usum suum frui liceret. Nec
enim primitias hic reliquis frugibus, sed τῷ Φυγάματι,
seu massae aqua subactae, opponit, respiciens ad legem,
quae habetur Num. XV. 20. Altera similitudo defunta est a radice et ramis, ubi natura docet, succum ex
radice assurgere, atque diffundi in ramos. Qualis igitur
radix, talis ramus. Si radix succosa, uiuida, san-
cta, etiam rami succosi, floridi, sancti. Haec dum
transfert Apostolus ad populum Iudaicum, manife-
stum est, per primitias et radicem intelligi Abrahamum,
Isaacum, et Iacobum, per massam autem et ramos eorum
posteritatem. Sicut igitur per primitias, Deo oblatas
et consecratas, tota massa in usum populi consecrabatur,
et sicut rami participant de natura radicis ac trunci,
ita et Iudei, oriundi ex primis illis progenitoribus,
quos Deus sibi sanctos esse uoluit et a reliquis homi-
nibus segregatos, participes sunt omnium priuilegio-

rum, quae ex foedere illo fluunt, quod Deus init,
 non cum solis patribus, sed etiam cum semine eo-
 rum. Hinc est, quod subinde uocantur *populus Dei*
sanctus, Deique peculum. Deut. VII. 6. XIV. 2. XXVI.
 18. 19. Sed probe obseruandum, qualis sanctitas intel-
 ligatur. Sane illa intelligi non potest, quae est fidei,
 uel e fide orta. Hoc enim scopum et demonstratio-
 nem Paulli penitus euertit. Sic nulli essent de gente
 Iudaea reprobi, nulli profani, nulli salutis expertes.
 Sed intelligit Apostolus *sanctitatem externam*, quae Iu-
 daeis, ui foederis, et promissionis, patribus factae,
 liberiorem, quam reliquis populis, ad fruenda benefi-
 cia, merito Christi acquisita, aditum concedebat. Si
 militidines enim ulterius extendendae non sunt, quam
 conditio materiae, cui illustranda adhibentur, per-
 mittit. Ea autem, ut antea dixi, haec est, quod Apo-
 stolus probare uoluit, Iudeos ob suam incredulita-
 tem non in perpetuum ita a Deo esse rejectos, ut nul-
 la restitutionis spes adsit, idque ea ex ratione, quia il-
 li ortum habent ex iis progenitoribus, quibuscum
 Deus tale init foedus, quod ad posteros etiam perti-
 nebat. Immo nec massae omni ex parte eadem com-
 petebat sanctitas, quae primitis, Deo oblatis, est tribu-
 enda. Primitiae, in locum sacrum illatae, usui quo-
 que sacro inseruiebant. At quis idem dixerit de re-
 liqua massa, quae domi a patrefamilias consumebatur?
 Eundem in modum pii Iudeorum maiores, praeter
 sanctitatem externam, interiore etiam erant exornati,
 quae cum posteris alio modo non communicatur,
 quam quo ipsi eam obtinuerunt, hoc est, propria fi-
 de. Recete hic BALDWINVS, *Gratia illa*, inquit, ne-
 mini obtingit, nisi qui mediis illis uitur, quibus Deus reci-
 pit nos in foedus gratiae. Medium autem illud non est carna-
 lis

Comment.
 ad Rom.
 XI p. 207.

lis propagatio, non fides parentum, sed baptismus, qui propter ea lauacrum regenerationis uocatur Tit. III. quia, eo mediantem, renascuntur et fiunt Christiani, seu filii Dei, qui carnaliter filii iroe, et inimici Christi nati erant. Externam autem sanctitatem Iudeos ex carnalis generationis priuilegio, quia nimis descendunt ex semine fidelium parentum, habere, cum HVTTERO affirmare non dubitamus, sed quam Beza agnoscit generationem ex gratia, qua sancti ex gratia gignunt ex eadem gratia sancros, ut foederis, per fidem apprehensi, nos non item agnoscimus, probamus potius iudicium HVTTERI, qui *sonnum uocat, quod iam olim in Pelagianis risit et elisit Augustinus, ad obiectionem eorum, Si de peccatores sunt, quare non de baptizato iam fidei, cui remissa sunt omnia peccata, iusti nascuntur, ita respondens, Ideo de baptizato non nascitur iustus, quia non eum generat, unde regeneratus est, sed unde generatus.*

LL. p. 664.

loc. cit.

XIII. Tandem iis circumsepta est haec de fide aliena opinio difficultatibus, ut, qua ratione eius defensores inde se expedire uelint, ego quidem pro mea ingenii tenuitate penitus ignorem. Habeimus ita geminam ad salutem perueniendi uiam, propria fide alteram, alteram aliena. Et quid fiet de iis infantibus, qui propter parentum impietatem hoc fidei alienae subsidio praeter suam culpam destituuntur? Credisse, eos omnes, si in tenera aetate diem suum obeant, ad inferos esse ablegandos? Sic incredulitas quoque aliena infantibus noxae erit, et proverbiū, in iustissimi pariter ac benignissimi Numinis contumeliam ab Israelitis quondam excogitatum, iterum obtinebit, *Patres comedenter uiam acerbam, et dentes filiorum obstruunt, tametsi Deus illud plane abrogatum uelit, et suam hac de re sententiam dilucide aperiat, Anima,*

H 3

quae

quae peccauerit, ipsa morietur, filius non portabit iniuriam patris, et pater non portabit iniuriam filii, iustitia iusti super eum erit, et impietas impii erit super eum. Hesek, XVIII. 19.20. Et sane haec de fide aliena sententia ita est comparata, ut per se corruat, et ipsius rationis iudicio penitus euertatur. Id quod ABR. CALO-

*Eneq. Aug.
Conf. art.
IX. cap.
VII. n. XV.* nem, aut per imputationem. At neutrum dici potest. Non hoc, quia fide imputatur aliena iustitia credenti, non uero fides aliena imputatur incredulo. Nam cuius fides est propria, ei sit iustitia aliena propria per imputationem, non uero cui fides imputatur aliena, ei quoque imputatur iustitia Christi. Non istud, quia uel admittenda foret immediata transfusio, uel mediata communicatio. Transfusio et μετά-
εστις est impossibilis, cum accidens non possit migrare de subiecto in subiectum. Communicatio uel erit κατὰ δια-
πολῖτων, uel κατὰ συνδύσεων. Non prius, quia ita fides parentum esset causa efficiens fidei liberorum, et habitus fidei personalis communicaretur liberis, et carnalis generatio esset medium effectuum oppositorum, corruptionis et restorationis, quae omnia sunt ἀποπέμπαται, quia et infantes hoc ratione propriam obtinerent fidem, quod est contra hypotesin. Nec posterius, quia inter parentes et liberos nulla est coniunctio uel unio, sed σχέσις tantum et relatio, quae nullam infert κοινωνίαν seu communicationem. Haec Calouius, non subtiliter magis, quam accurate.

XIII. Pergis, Atqui Augustinus ita sensit, ita docuit, qui, si haec de fide aliena sententia falsa est, erroris erit accusandus, cuius tamen auctoritatem ecclesia plurimi semper fecit. Sed uelim, hic ante omnia aurem praebeas ipsi AVGVSTINO, qui in epistola, ad Paulinam scripta, *Nolo, inquit, auctoritatem meam sequaris, ut ideo putes, tibi aliquid necesse esse credere,*

quo-

quoniam o me dicitur. Si igitur uel maxime ab Augustino hac de caussa dissentias, nihil aliud facies, quam quod ipse Augustinus, pro insigni sua modestia, ab omnibus scriptorum suorum lectoribus fieri iussit. Sed ne eo quidem deueniendum est. Nec enim alienam fidem ita commendat Hippone nsum praesul, ut, infantes, existimet, propria fide omnino carere, nec nisi aliena regenerari. Longe aliam mentem tenet Augustinus, *Non est scriptum*, inquiens, *Nisi Epist. 23.*
quis renatus fuerit ex parentum uoluntate, aut ex offerentium uel ministrantium fide, sed, nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu. *Aqua* igitur, exhibens forinsecus sacramentum gratiae, et *Spiritus*, operans intrinsecus beneficium gratiae, soluens uinculum culpae, reconcilians bonum naturae, regenerant hominem in uno Christo, ex uno Adam generatum. Regenerans ergo *Spiritus* in maioribus offertenibus, et parvulo oblato renatoque, communis est, ideo per hanc societatem unius eiusdemque *Spiritus* prodest offertenium uoluntas parvulo oblato. Quae uerba apud animum expendens, MART. CHEMNITIVS, *Haec sententia, inquit, monife-* Exam.
ste ostendit, Augustinum non censuisse, parvulos baptizatos Conc. Trid.
regenerari aliena fide, uel parentum, uel offerentium, uel ec- P. II. p. m.
clesiae, sed quod aliena fides, quae statuit, promissionem euangelii etiam ad parvulos pertinere, offerat parvulum ad bapti- 246.
*sum, in quo donetur parvulo *Spiritus sanctus*, operans in-*
trinsicus et occulit in parvulo. Nec est, quod dicas, Augustinum infantibus fidem alienam ita tribuere, ut, propriam eos habere, neget, et, dum eredat infans per alterum, id opus ita alienum esse, iudicare, sicut alienum fuit opus, cum in altero peccauit. Quamuis autem negare nolim, haec et huius generis alia in Augustini libris reperiri, tamen, consideratis una aliis locis, quibus, infantes credere, asserit, perspicue appetet, eum propri-

propriam fidem, non in se spectatam, sed quomodo
fide in adultis habet, ita ut sentiatur, atque per actiones
externas libere susceptas demonstretur, infantibus de-
negare. Praeceuntem hic habeo Theologum, magna iu-
dicandi u[er]i praeditum, MICH. WALTHERVM, qui, in e-
gregia et solidioris rerum diuinarum cognitionis plena
disputatione, *de fide baptizatorum infantum*, Vitembergae
habita, alium locum Augustini explicaturus, quo in-
fantibus omnem omnino fidem denegare uidetur,
dum, eos, ass[er]it, suo corde et ore non agere, quod ad cre-
dendum constenduntque pertineat, eum, obseruat, cum
Paullo, Apostolo, Rom. X. 9. 10. coniungentem cum
fide cordis confessionem oris, loqui de eo, quod ad
credendum pertineat in hominibus adultis, qui utrum-
que possunt, et credere, et confiteri. Non possum
mihi temperare, quin uerba Theologi huius uere ma-
gni, licet bene multa, hic apponam. *Non dicit Augusti-*

*L. I. de
pecc. mer.
et rem. pecc.
c. XX. Tom.
VII. Opp.
p. 667.*

*Disp. cit.
n. XXIII.* *nihil agere, quod ad creden-
dum pertineat, sed non agere, quod ad credendum pertineat in
adultis. Si prius dixisset, adhuc secum pugnaret. Nam cre-
dere, quod manifeste infantibus eum tribuere audiuius, et
nihil agere, quod ad credendum pertineat, contradictorium est.
Sapienter itaque dicit, quod non agant infantes suo corde,
quod ad credendum pertineat, respiciens partim ad naturalem
actus caussam, partim ad medium ingenerandae fidei, deni-
que etiam ad reflexionem actus, et quae plura sunt fidei iu-
stificantis accidentia, supra a nobis enumerata et explicata.
Nam dum credere supponit infantes, equidem non potest non
offensum in mente, fiduciāmque in uoluntate ipsorum statue-
re, quod baec ita ad fidem pertinent, ut absque iis nulla fides
sit. Negat autem, eos assentiri, atque recumbere, per natu-
ralem caussam, actum assentendo et recumbendo credendi pro-
ducentem, negat offensum mentis, et fiduciām uoluntatis, ha-
bitam*

Nam ex uerbi praedicati auditione et cogitatione, meditatio-
 ne et apprehensione, negat infantes fidei suae habere sensum,
 reliqua. Et haec omnia complectitur tam paucis uerbis, di-
 cens, eos suo corde non agere, quod ad credendum pertineat,
 ueluti faciunt credentes adulti, in quibus facultas intelligen-
 di et uolendi, uiribus ad credendum donata a Spiritu sancto,
 hoc eas excitante, naturaliter transit in assensum et fiduciam,
 mediante uerbi praedicati auditione et cogitatione, nec non
 meditatione et apprehensione, ipsis ordinarie scientibus et sen-
 tientibus, se credere. Haec Waltherus, ex quibus simul
 apparet, quid respondendum sit WOLFGANGO MVSCV-
 LO, ad destruendam infantium fidem, ista Augustini
 uerba afferenti, ubi ille, *Nescire diuina paruulos*, ait, qui
Loc. Com.
L. de Bapte.
p. 312.
Epist. 57.
 nec humana adhuc nouerint, si uerbis uelimus ostendere, uereor,
 ne ipsis sensibus nostris facere uideamus iniuriam, quando id
 loquendo suademos, ubi omnes uires officiumque sermonis fa-
 cilime superat evidentia ueritatis. Nesciunt infantes di-
 uina, sed ex facultate naturali nesciunt, immo, quan-
 do eis christiana, ut Augustinus paullo post scribit, sub-
 uenitur gratia, nesciunt, si actum reflexum desideres,
 uel fidei sensum. Sed ubi dicit Augustinus, quod hu-
 manis sensibus iniuriam faciant, qui docent, infantes
 credere, quando baptizantur, et fidem propriam habe-
 re? Alia omnia hic ex eo audis, dum, paucis inter-
 ictis, *Dicimus ergo, inquit, in baptizatis paruulis, quam-*
uis id nescior, habitare Spiritum sanctum. Sic enim eum
 nesciunt, quamvis sit in eis, quemadmodum nesciunt et men-
 tem suam. Et alio loco, *Graiam Spiritus sancti bapti-*
zatos quoque paruulos Christi inserere corpori, eumque, in
De pecc.
mer. et re-
miss. L. I.
c. 9. Tom.
VII.
quo omnes uiuificabuntur, occultissimam Spiritus sui gratiam
 latenter infundere paruulis, testatur. Cum igitur, ex Au-
 gustini sententia, certum sit, infantes baptizatos esse
 membra ecclesiae, et placere Deo, et Spiritum san-
 ctum

ctum habitare in iis, ita, ut corpori Christi inferantur, certum et hoc est, quod infantibus fidem propriam concedat. Nam, ut CHEMNITII uerbis utar, *illam actionem seu operationem Spiritus sancti in infantibus uocamus fidem*, terminatue scilicet, sive ipsum terminum, hac Spiritus sancti operatione productum. Fatetur enim Cheminitius, Spiritum sanctum ita operari in infantibus, ut tamen non ipse Spiritus sanctus, sed infantes, credant. Quod autem ad uerba illa AVGV-

Exam.
Conc. Trid.
P. II. p. m.
246.

L. VI. con-
tra Julian.
Pelag. c. 4.
T. VII.

STINI attinet, Alienum quippe opus est, cum credit per alterum, sicut alienum opus fuit, cum peccauit in oltero, ea ex mente aduersarii potius dicta sunt, quam ipsius Augustini. Res ei est cum homine Pelagiano, qui, ad euertendam sententiam Augustini de peccato originis, prouocauerat ad uerba Apostoli, *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut reportet unusquisque propria corporis sui, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Inde inferebat Pelagianus, Si in extremo iudicio sui quisque corporis propria, non autem aliena, reportabit, inania sunt, quae de peccato originis, tanquam aliena culpa, a multis disputari solent. Quae tela ita excipit Augustinus, ut in aduersarium ea retorqueat, quaerens ex illo, *Quomodo in parvulis id accipis, utrum et ipse ante tribunal Christi manifestabuntur, an non?* Si non manifestabuntur, *quid te adiuuat ista sententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur caussa?* Si autem manifestabuntur, *quomodo reportat eorum quisque, quod gessit, qui nihil gessit?* Ad quae cum Pelagianus nihil aliud respondere posset, quam quod ad infantes pertineret, quod per alios in baptismino gessissent, hanc ipsius responsem arripiens Augustinus, *Vide ergo, inquit, quam importune nolis, parvulum de alieno peccato reportare malum, et uelis, eum de alieno recte facto reportare bonum*

bonum, non qualcunque, sed Dei regnum. *Alienum quippe opus est, cum credit per alterum, sicut alienum opus fuit, cum peccauit in altero.* Intelligisne, aduersarium id uoluissé, non Augustinum, et uerba postrema tantum maioris perspicuitatis cauilla ab eo adiecta esse? Ipse uero Augustinus, dum pergit, *Nec nos dubitamus, quia baptizate delictum omne mundetur, sed renascendo quisque mundatur,* indicat quidem, in ea se uersari opinione, quod infantes omnino propria corporis sui sint reportaturi, prout gesserint, siue bonum, siue malum, sed ex parte paruulorum baptizatorum, quos bonum reportatuos esse, credit, hanc assert rationem, quia *renascendo quisque mundetur.*

XV. Idem iudicandum est de uerbis D. LVTHERI, quae nonnulli nobis e libro eius *de Captiuitate Babylonica* obiiciunt, quando scribit, *Hic dico, quod omnes* T. II. Vitt.
Lat. s. 77. *fide aliena paruulis succurri, illorum, qui offerunt eos.* Loquitur hic Lutherus ex mente aduersariorum, qui, sententiam de iustificatione sola fide obtinenda oppressuri, ad baptismum paruulorum prouocabant, qui promissionem Dei non capiant, nec fidem habere possint. Ideoque, dicebant, aut non requiri fidem, aut parulos frustra baptisari. Hic Lutherus, in sententia persistens, ne paruulis quidem alium salutis obtinendae modum tribuit, nisi qui est ex fide. Quod ne temere affirmare uideatur, recipit se ad peruulgatam ecclesiae Romanae opinionem, de fide aliena, non, ut eam probet, sed ut aduersarios proprio gladio transfigit. Immo non sine cautione loquitur, dum, infantibus, dicit, aliena fide *succurri*, non autem, aliena iis fide méritum Christi et salutem applicari. Quem succurrendi infantibus modum ita describit, *Sicut uerbum Dei potens est, dum sonat, etiam impii cor immutare,*

quod non minus est surdum et incapax, quam ullus parvulus, ita per orationem ecclesiae offerentis et credentis, cui omnia possibilia sunt, et parvulus, fide infusa, mutatur, mundatur, et renouatur. Noli existimare, Lutherum in uerbo Dei, atque in uerbo ecclesiae, parvulum Deo precibus commendantis, unam eandemque uirtutem agnosce-re, unumque operandi modum. Nam in eo tantum eius uersatur industria, ut remoueat obiectionem eorum, qui negabant, tale quid apud parvulos, nihil cognoscentes, nihil appetentes, fieri posse, ut uel fidem impetrant, uel fide iustificantur. Atqui, inquit, cor impii, qui prouectioris iam est aeratis, non minus iners atque ineptum est ad recipiendam gratiam, quam ullus parvulus, sed, sicut illud potentia uerbi diuini subigitur, ita oratio fidei, cui, teste optimo Salvatore, *omnia sunt possibilia*, Marc. IX. 23. tantum efficit apud Deum, ut in baptismo, qui parvulis idem praefstat, quod adultis uerbum Dei, animus parvulorum, fide infusa, penitus immutetur. Quodsi igitur, ex sententia Lutheri, infantes, *fide infusa*, mundantur et renouantur, illi sane propriam fidem habent, non autem saluantur aliena. Et quid multis? In aliis scriptis, supra iam a nobis excitatis, Lutherus hanc de fide aliena opinionem dedita opera confutauit, tantum abest, ut eius auctoritate illam communire queas. Quae cum ita sint, *per calumniam* nobis tribui a Petro Martyre istam sententiam, quasi doceamus, parvulos aliena, parentum scilicet, uel offerentium, uel ecclesiae, fide saluari, uel etiam formulae nostrae, qua infantes, de fide interrogati, sponsorum ore et uoce, se credere, confirmant, eum esse usum, IO. AFFELMANNVS recte pronunciat, in cuius iudicio, iis, quae supra dicta sunt, diligenter consideratis, non iniqui rerum existimatores facile, opinor, acquiescent.

SEN-

Synt. P. I.
p. 160.

SENTENTIA III.

Falluntur quoque, qui, susceptores, non autem infantem, de fide interrogari, uel illorum fidem magis respici, quam infantium, putant.

ANIMADVERSIO

I. Anglos retinere hunc ritum, alio iam loco dictum est. Recte etiam retineri, nec abrogandum, nec immutandum esse, contendit *Guil. Nicolsonius* in *Defensione ecclesiae Anglicanae*. At in ostendendo eius usu, teste *ELSVICHIUS*, eo descendit, ut neget, nos *De reliquo*. hisce quaestionibus ipsos infantes percontari, *Ab eo-* *Pap. p. 107.* rum, inquiens, *profecto sponsoribus, uerbis, antiquo ritu* conceptis, sciscitamus, *An istius infantis nomine Diabolo abrenuncias?* *An credis in Deum omnipotentem?* *An in hocce fidem baptizari lubet?*

II. E nostris Theologis *BALTH. MEISNERVS*, formulae huius usum indicatur, uidetur tantum non omnia ad ipsos sponsores referre, *Retinetur, inquiens, haec caerimonia in nostris ecclesiis utiliter propter suos fines ususque, quod non tam infantes, quam susceptores ipsos, sua et infantum uice interrogamus, ut sic 1. Patrini fidem suam coram ecclesia profiteantur, 2. ut sciant, quale testimonium baptizato, cum ad discretionis annos peruerterit, perhibere debeant, 3. ut agnoscant, qua in fide baptizatus institendus sit.* *Quem recutus IO. CONR. DANHAVERVS, suscep-* *Colleg. Adi-* *apbor. Disp.* *V. §.* *tos respondere potius de sua fide, quod hos articulos credant, et quod ad hanc fidem infantem educaturi sunt,* *Theol. Ca-* *sual. p. 491.*

III. Quamuis autem negare nolim, hanc interrogandi de fide formulam etiam ratione offerentium

insignem haberet usum, immo eos suae quoque fidei confessionem edere, et, facta hac professione, polliceri, datus se operam, ut parvuli, cum primum per aetatem fieri possit, ad plenam eorum, quae confessi sunt, cognitionem perueniant, ut in *altera parte* uberioris demonstrabimus, tamen, ad solos susceptores hanc formulam pertinere, uel ita iis vindicandam esse, ut priores habeant partes, merito negamus.

III. Sententiam nostram ex ipsa probamus formula, quae iis concepta est uerbis, ut, oratione ad infantem, non ad susceptores, conuersa, ipse infans compelletur. Recte hic b. ELSVICHIVS, recitatis *NI-
CHOLSI* uerbis, *Quo minus, ait, huic adstipulemur senten-
tiae, nomen facit infantis, quod diste singulis quaestioni-
bus adiicitur.* Deinde, quod idem urget Elsuichius, infantem interrogari, ipsa creditit uerustior ecclesia, ut uel ex Bonifacii ad Augustinum epistola, huiusque responsione, patet. Immo, si priores hic, qui offerunt, habent partes, uel aequam saltem cum infantibus, cur non uel sola offerentium nomina, uel cum infantium nominibus coniuncta, audiuntur? Referant haec ad susceptores, qui, infantes fide praeditos esse, negant. At ecclesiae nostrarae, cum, infantes credere, affirment, ad amplectendam hanc sententiam nulla ratione compelluntur. Nec solus ita sentio, consentientem habeo IO. WINCKELMANNVM, qui, *Pa-
trini, inquit, ad paedobaptismum adhibiti, cum interrogati
respondent, se abrenunciare, se credere, NON PRO SE RE-
SPONDENT, neque infantes in ipsorum fidem baptizantur.* Quin nec illud hic omissendum, si formulae huius is esset uel sensus, uel usus, quem Nicholsius putat, nunquam profecto aduersarii in animum induxisserent, eam uel conuictiari, uel immutare, uel penitus abrogare. Sic

*Tom. VI.
Disp. Gieß-
fens. Disp.
IV. p. 43.*

WOLFG.

WOLFG. MVSCVLVS, et DANIEL CHAMIERVS, in *L. de Bapt.*
 ritum nostrum grauiter inuecti, conuenientius esse,
p. 312.
Panfr.
Crb. T.IV.
L.V. c. XV.
n. XXIII.
 iudicant, si pater baptizandi infantis, uel qui infantem
 ad baptismum offerunt, interrogentur de fide, quam
 ipsi habeant, et ad quam infantem educare et institue-
 re uelint, atque, interrogati, clara uoce recitent sym-
 bolum fidei christiana, et, edita eiusmodi confessio-
 ne, in fidem hanc et gratiam Christi infantem suum
 sacro lauacro tingi, religiose petant, quod indicio est,
 eos nihil huius rei in ritu nostro deprehendisse.

V. Ad *Nicbolsium* sigillatim quod attinet, ille,
 ecclesiam Anglicanam propter seruatum hunc ritum
 in leuitatis suspicionem adduci, noluit, sed cum, de fi-
 de infantium idem cum reliquis Reformatis sentiens,
 non haberet, quod commode respondere posset, usum
 huius ritus excogitauit, non quem ipsa interrogandi
 et respondendi formula suppeditat, sed quem opinio-
 nes, animo conceptae, flagitare uidebantur. Sane
 ipsi libelli ecclesiae Anglicanae liturgici uerant, quo
 minus in hanc concedere possimus sententiam, cum,
 teste *ELSVICHI*, minister ecclesiae, peracto ba-
 ptismate, susceptores ita alloquatur, *Quoniam infantes*
ipsi per uos promiserint renunciatus se diabolo, et omnibus
eius operibus, in Deum autem credituros, et illi soli seruitu-
ros. At si *ipsi infantes*, licet non sua uoce, sed per su-
 sceptores se credituros, affirmant, quis ausit, ritum
 hunc de susceptorum potius, quam parvulorum, si-
 de interpretari?

De Reliqu.
Pap. p. 104.

SENTENTIA III.

Nec minus errant, qui, ritum nostrum de fu-
 tura fide infantium, cum adoleuerint, ac-
 cipiendum esse, putant.

ANIM-

ANIMADVERSIO

I. Obiiciebant quondam Anabaptistae, qui consuetudinem tingendi paruulos penitus sublatam cuperbant, baptismum esse sacramentum poenitentiae et fidei, quarum neutra cum in infantes caderet, eos

Institut. L. IV. c. XVI. n. 20.

nec tingendos esse. Quae ut confutaret IO. CALVIVS, baptizari, dicebat, *infantes in futuram poenitentiam et fidem, quae et si nondum in illis formatae sunt, arcana tamē Spiritus operatione utriusque semen in illis latere.* Eandem responsonem adhibet TH. GATACKERVS ad ostendendum ritus nostri usum. Edidit ille disputationem *de baptismatis infantilis ui et efficacia, priuozim inter se et Samuelem Wardum habitam*, in qua non diffiteretur, in Liturgia Anglicana reperiri sponsonem et responsionem, affert quoque e Catechismo quaestio nem, quae ita se habet, *Quid a baptizandis requiritur?* et respondetur, *Poenitentia et fides*, sed haec non, nisi de futura fide, accipienda esse, semel iterumque monet, *Mitto, inquiens, quod prius interrogatur infans, an credat, quam ad baptismum admittatur. In fidem poenitentiamque futuram baptizari infantes, cum Caluno statuere, nullus recusem.* Producit in eam rem testimonium Episcopi Sarisburiensis, in epistolam ad Col. II. 12. ad illa uerba, per fidem, sequentia commentantis, *Non frustra est, quod fides exigitur ab Apostolo, ut beneficium spiritalis resurrectionis obtineamus. Nam ut in baptismo adulorum requiritur fides praevia, Marc. XVI. 16. sic ab illis, qui baptizantur, cum iam infantes sunt, requiritur fides subsequens, quam si non praefliterint postea, retinent externam tantum sanctificationem, interna sanctificationis effecta non habent.* Immo huic ritus nostri interpretationi libelli ecclesiae Anglicanae liturgici fauere uidentur, dum, facta hac interrogatione et responsione, sacerdos, ad fusce-

p. 115.

p. 138.

susceptores sese conuertens, et promissorum quasi explicationem subiiciens, *Quoniam*, inquit, *infantes isti per nos promiserunt, renunciatus se diabolo, et omnibus eius operibus, in Deum autem credituros, et illi soli seruituros*, et quae reliqua sunt uerba. Nihil hic audis de praesenti efficacia baptismi in fide cum infantibus communicanda, omnia potius futuro tempori reseruantur.

II. *Fratres Waldenses* in eadem fuisse opinione, uel e uerbis Lutheri, supra iam allegatis, intelligi potest. Negabant illi, infantes credere, et, interrogati, quare ergo eos tingerent, nec, tanquam incredulos, et fidei nullo modo capaces, sacro potius fonte arcerent, in futuram eos fidem tingi, respondebant. Quae responsio quam parum adiuuet eos, *LUTHERVS in Postillis Ecclesiasticis* egregie docet.

*Dom. III.
p. Epiph. p.
m. 340.*

III. Ego quidem id facile dederim, ecclesiam, hunc ritum adhibentem, non modo, ante pedes quae sunt, uidere, sed etiam in futurum prospicere, et infantes ad seruandam fidem ea, qua fieri potest, religione obligare. At, indolem et naturam huius ritus accurati inspiciens, facile intelligo, explicationem Caluini, Gatakeri, aliorumque, a sensu usique uerborum nimis alienam esse. Verba enim temporis praesentis habent rationem, interrogamus, num *credat* infans, eumque *credere*, susceptores respondent. Nihil hic de futura fide. Immo si susceptores existimarent, de futura parvolorum fide esse respondendum, putasne, eos tanta animi fiducia responsuros esse? Recte hic *BONIFACIUS* in epistola, ad Augustinum scripta, *Si constituum ante te parvulum, ait, et interrogem, Virum, cum creuerit, futurus sit coetus, uel fur non sit futurus, sine dubio respondebis, Nescio, ut uerba eius repetit*

K

ipse

*Epiſt.
XXIII.*

ipse AVGVSTINVS. At, si de moribus eius futuris nihil audes certi promittere, non crediderim, eo te audaciae progressum esse, ut poenitentiae et fidei futurae existas sponsor, cum ipsa doceat experientia, multos, adultores factos, fidem et felicitatem, in tenera aetate per baptismum impetratam, sceleribus flagitiisque indulgendo, excusisse penitus, nec unquam ad frugem rediisse. Ergo alia ratio subest, quod susceptores ad respondendum tam faciles sunt tamque prompti. Et quid opus est, ad futura respicere tempora, cum ecclesiae nostrae credant, doceant, et confiteantur, infantes in baptismo vires credendi, immo fidem ipsam, a Spiritu sancto impetrare? Confensem, tamen hic habeo LEONH. HUTTERVM, qui, *Patri-nus autem, ait, quando pro infante respondeat, CREDO, non praedicis, crediturum puerum, cum adoleuerit, sic enim di- cendum fore, CREDET, neque operam se tantum daturum promittit, ut, cum ad annos discretionis peruerenerit, de fide instruatur, sed de praesente fide professionem edit, quae infan-ti, mediante hoc sacramento, et precibus ecclesiae, communi-catur.*

III. Considerate autem cum Huttero dico, non intelligi hic fidem futuram, eam scilicet, quam infantes, *cum adoleuerint*, sint consecuturi. Nam ipse supra docui, fidem eo temporis momento, quo hae interrogations et responsiones sunt, in infantibus nondum adesse. Ergo omnino ad tempus futurum respicitur, sed, ut cum Theologis nostris loquar, *paullo post futurum*, non autem post multos annos, et cum ad maiorem infantes peruerenter aetatem. Sic HIE-

Theol. pos. RON. KROMAYERVS non argute magis quam solide scribit, esse in uerbis his confessionis enallagen tem-
670. poris

poris praesentis pro paullo post futuro, propter actus continuos, et, nisi ineuitabile quid interuenierit, nunquam diuelendos. Sic GEORG. MOEBIUS, suam de hoc ritu dicturus sententiam, *Quando susceptores, inquit, uel anadocbi, loco infantis ante baptismum collatum respondent;* Credo, tunc propter rei certitudinem tempore praesenti utuntur pro futuro, et quidem more Scripturae sacrae, quae hoc in usu frequenti habet, ut praesens propter rei certitudinem ponat pro futuro. Productis eam in rem e Scriptura sacra exemplis, in sententia sua persistens, ita pergit, *Quando ergo anadocbi infantes ad baptismum afferunt, et certo persuasi sunt, infanti fidem per baptismi actum conferendam esse, nihil absconi loquuntur, quando propter rei certitudinem in praesenti respondent, Credo, id est, Credam.* Ut brevibus omnia complectar, ego quidem de hac re ita statuo, si actum hunc interrogandi, a reliquis actibus disiunctum, consideras, non absolum est, in ostendendo usu sensuque huius formulae, temporis futuri mentionem facere, fin autem omnia, quae in tingendis infantibus fieri solent, pro uno actu habebantur, necesse est, ut, reiecta opinione de fide futura, uerba huius formulae de praesenti fide interpreteris.

SENTENTIA V.

Ea quoque, quae in remouendo falso ficto que huius formulae usu uersatur, opera, suam in reprimendis aduersariis habet utilitatem.

ANIMADVERSIO

I. Finis huius scripturae ille est, ut ritus nostri innocentiam et sanctitatem, a maleuolorum vindica-

tam obtrectionibus, in tuto collocemus. Proinde, missis aliis, quae hic obseruari possunt, ea tantum scribendo attingimus, quorum in confutandis aduersariis praesentissimus est usus. Nam, quod supra iam monui, aduersarii multa hic nobis obtrudunt, quae Theologis nostris ne per somnum quidem in mentem uenerunt, quibus feliciter iam detectis propulsatisque, spes est, fore, ut postea ecclesiam recte sentientem opinionibus male fani onerare desinat, uel, si pergent maledicere, suam ipsorum, uel ignorantiam, prodant, uel improbitatem.

II. *Wendelinus* sane, ex sententia ecclesiae nostrae, fidem ante baptismum iam adesse, ideoque baptismum temere a Theologis nostris pro instrumento ingenerandae fidei uenditari, ad ritum nostrum prouocans, ad taedium usque inculcat. Sed quam parum Theologorum nostrorum sententiam perspectam habeat, ex iis, quae a nobis disputata sunt, facile est intellectu. *Gundulfiani*, falsa ista de fide aliena opinione imbuti, eo progrediebantur audaciae, ut ipsum tingendi infantes morem sublatum uellent. Verum exuant hanc mentem, et missam faciant istam, quam animo conceperunt, de fide aliena sententiam, et intelligent, cur uel de ritu nostro, uel de baptismo paruolorum, sinistre sentiant, caussam adesse nullam. Timet *Tertullianus*, timet *Bonifacius*, ne sponsores, in re tam ardua, tam incerta, suam adstringentes fidem, periculo ingerantur, cum facile prouentu malae indolis falli possint, sed iterque frustra timet, cum de futuro tempore non ita teneantur offerentes, ut illi sibi persuasum habent, nec de futura fide interrogationes istae accipientur.

Deni-

*conf. Com-
ment. de
aduersariis
buius ritus
p. 8.*

Denique ex commentatione hac eum capies fructum,
ut militem istum gloriosum, *Melodium* puta, facili ope-
ra in fugam dare possis. Hic, pro sua, qua pollet, im-
pudentia, Theologos nostros ea tradere, dicit, quae
se mutuo euertant, dum, in baptismo Spiritum san-
ctum et cum eo uires credendi infantibus impertiri,
uulgo statuant, cum tamen infantes, ex antiqua for-
mula, ante baptismum de fide interrogentur, et spon-
sores, eos iam credere, sancte confirment. *Ja das* ^{Einst. p.}
finde ich, ait ille, daß noch heutiges Tages die Kinder bey ^{283.}
*dem Tauff-Steine, ehe sie noch getauft werden, gefragt wer-
den, ob sie schon an Christum glauben, und daß die Pathen
den Prediger theuer versichern, daß das Kind schon glaube,
und doch soll es in der Tauffe erst Kräfte zu glauben bekom-
men.* Inuenisti itaque, et sine multo labore inuenire
poteras, ritum, omnibus singulisque in ecclesia nostra
obuium, at quare non operam dedisti, ut uerum
propriumque eius usum, a Theologis subinde de-
monstratum, eodem studio inuenires? Immo, pro
tua, dicamne, sagacitate, an negligentia, plus hic
inuenisti, quam alii uel audierunt unquam, uel
in libellis ecclesiae nostrae liturgicis inuenierunt.
Dicis, te id inuenisse, quod minister ecclesiae,
ad fontem sacrum, priuilegiam tingat, ex infantibus
quaerere soleat, num *iam* credant, *ob sie schon*
an Christum glauben, quodque sponsores ministro, eos
iam credere, *daß das Kind schon glaube*, sancte confir-
ment. Nunquam ita ministri ecclesiae interrogarunt,
nunquam ita responderunt offerentes. Quaestio est,
Credisne, et responsio, *Credo*, sine illa temporis nota,
quam Melodius adiecit, non aliud in finem, quam ut
caussam haberet, in Theologos nostros animaduer-

tendi. Pergit iste, *Müssen nicht Politici, ia nur ein wenig verständige Leute, dencken, daß wir Prediger gar Narren seyn, und keinen sensum communem mehr haben, daß wir solche bandgreiffliche contradictiones unsern Schülern vorsagen.* Hic Melodius omnem animi intemperantis et ad conuiciandum compositi vim deponit. Prouocat ad Politicos, hoc est, ad uiros, rerum ciuilium, quam Theologiarum, peritiiores, immo ad eos, qui uel mediocri praeediti sunt ingenio, iisque Theologos nostros dat deridendos, sed, quae singularis vindictae diuinae est significatio, ita dat, ut, salua eorum existimatione, ipse in bonorum honestorumque risum incurrat. Primo enim, quasi forex, se ipse prodit miser Melodius, et, quis qualisue sit, dum in prima loquitur persona, *dass wir Prediger gar Narren seyn müssen*, tam aperte, quam imprudenter, declarat. Deinde fatetur eo ipso, se esse eum, qui tam absurdia, tam sibi inuicem inimica, discipulis suis tradat, cum reliqui Theologi et ministri ecclesiae de iniuria sibi hic illata iuste conquerantur. Habemus itaque Melodium *αὐτοκατάγετον*, quod *αὐθόπων αἰσχύλον* proprium esse, testatur Apostolus, Tit. III. 10. II. hoc est, non Politicorum modo, et qui uel mediocriter sapiunt, sed etiam *suo ipsius iudicio, stolidum plane, et sensu communi destitutum*. Discamus, hoc moniti exemplo, quam periculi plenum sit, contemtis ueterum Theologorum scriptis, uel proprio indulgere ingenio, uel noua tantum et peregrina in rebus, ad Theologiam pertinentibus, conjectari, Deumque comprechemur, ut ecclesiam suam, profligatis tum externis tum domesticis hostibus, fartam semper tectamque conseruet.

SVM

SVMMA TOTIVS OPERIS.

Prooemium explicat causas instituti, institutum ipsum, modum tractandi.

Partis prioris Sententia I. quod fides iam praesens hac formula non indicetur.

Animaduersiones.

- I. Fidem ante et extra baptisnum dari, quidam statuerunt tempore Augustini.
- II. statuunt Quackeri.
- III. alii Fanatici.
- IV. De Habsinnis id negatur.
- V. Statuunt Reformati.
- VI. num eriam Lutherani?
- VII. Negatur, subiecto explicatione.
- VIII. Probario adiicitur ex Art. V. Aug. Conf.
- VIII. ex Art. IX. et XIII. Aug. Conf.
- X. ex reliquis Libris symbolicis.
- XI. ex Theologorum consensu.
- XII. Sigillatum eorum, qui expressis uerbis id negant.
- XIII. Obiectiones.
- XIV. Responsio in genere.
- XV. ad uerba Lutheri.
- XVI. Elsuicibii.
- XVII. Pappi.
- XVIII. auctoris anonymi.
- XVIII. Melodii.

Sententia II. Nec fides aliena.

Animaduersiones.

- I. De Patribus et Scholaisticis, qui ita sentiunt.
- II. De Pontificiis.
- III. Horum argumenta.
- IV. de Reformatis.
- V. Idem sentit Poiretus.
- VI. Calixtus et Horneius.
- VII. Nos negamus.
- VIII. Sententiam probamus e libris Symbolicis.
- VIII. e Theologorum testimoniis.
- X. Confutamus argumenta, quae in contrarium afferuntur.
- XI. Sigillatum Beconi.
- XII. Bezae.
- XIII. Absurda, banc opinionem consequentia.
- XIV. Explicatur Augustinus.
- XV. Lutherus.

Sententia III. nec suscep-
rum fides.

Animaduersiones.

- I. Ira sentit Nicholai.
- II. ex parte Meissnerus et Dan-
hauerus.
- III. Nos nega-
mus, addita tamen cautio-
ne.
- IV. Sententiam no-
stram probamus.
- V. Ni-
cholai πρώτον ψεύδος indica-
mus.

Sententia IV. nec futura
fides.

Anim-

Animaduersiones.

- I. *Ira sentiunt Calvinus et Angli.* II. *Waldenses.*
 III. *Nos negamus, additis argumentis.* IV. *Sententiam nostram explicamus.*

Sententia V. Vsus huius operae.

Animaduersiones.

- I. *Explicatur finis huius operis.* II. *Vsus demonstratur.*


ADDENDA ET EMENDANDA.

Ad pag. 38. Comparari hic possunt ea, quae WALTHERVS in Disp. de fide infantum baptizatorum num. XXIII. obferuat. *Adultos incredulitatem actuali, ascititia, et acquisita, contumaciterque infideles quidem non esse baptizandos, infantes autem, originaliter incredulos, ideo baptizandos esse, ut fidem accipiant.*

Ad pag. 42. Verba Becani leguntur Theol. Schol. P. III. Tract. II. Cap. X. p. 662.

Ad pag. 56. In extremo, uelim, ita legas: De posteriori fide aliena, quae matris, ecclesiae, est, nihil aliud dicit Becanus, quam quod ea censeatur etiam ad infantes pertinere. Sed cum nullam afferat probationem, nec indicet, quo iure, quoque fundamento, fides haec aliena etiam ad infantes censeri possit, aequa facile a nobis non censemur pertinere ad infantes. Nam ex iis, quae ille afferit, illud tam non consequitur, quod probare studet, ut potius contrarium inde demonstremus. Quodsi enim *infans per baptismum fit membrum ecclesiae, et omnia membra corporis participant eundem spiritum et animam*, consequens est, ut, sicut adulti fide propria participant eundem spiritum, ita infantes etiam eodem modo eiusdem spiritus participes fiant. Nam omnium membrorum eadem est ratio, unus eundem spiritum participandi modus. Aut si exigitur Becanus, sua demonstrationi uim quandam inesse, etiam fides haec aliena censi ri potest ad adultos pertinere. Quodsi enim *adultus per baptismum fit membrum ecclesiae, et omnia membra corporis participant eundem spiritum et animam*, consequens est, ut fides reliquorum membrorum censemur etiam pertinere ad hoc membrum nouum, quod per regenerationem illis unitur et coniungitur. Sed hanc argumentandi rationem non admittit Becanus. Ergo demonstratio eius elumbis est nerisque caret.

Ad Pag. 58. lin. 23. post *ut deleatur comma.*



AB 154546

X 2311881

IL

B.I.G.

Metres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20

Farbkarte #13

Blue																				
Cyan																				
Green																				
Yellow																				
Red																				
Magenta																				
White																				
3/Color																				
Black																				

R. 12
Q. D. B. V.
TIONIS THEOLOGICAE
DE
ORMVLAE
QVA
SAMVS INFANTES
CRAM LOTIONEM
DE FIDE
QVAM
PRAE SIDE
PHORO HENRICO
IBICHIO
PROFESSORE PVBL. TEMPLI
POSITO ET CONSISTORII
ASSESSORE
LICENTIA
LOGIA OBTINENDI HONORES
APRIL. AN. CIO IO CC XXXIII.
EDITORIO MAIORI
VTANDO EXCVTIET
ANVS GOTTLIEBIVS
CLVGIVS
EMBERGENSIS ARCHI-DIACONVS.
GAE TYPIS EICHSFELDIANIS.